



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Pars II. de instrumentis assequendæ Virtutis, pertinentibus ad intellectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

corde: cor autem bonum sola virtute redditur, & re-
ctum sola iustitia & Dei gratia, à qua omnis iustitia
& omnis virtus manat, existimatur. Quare qui gra-
tia, & iustitia, & virtute carent, benignitatem & mer-
cedem à Domino, nisi respiciant, & bonitatem vir-
tutis induant, nequaquam expectent. Istis qui noua
debita peccatorum contrahunt, qui nouis se obliga-
tionibus iniquitatum inuoluunt, qui obliquitates
conscientiæ sectantur, sedes cum reprobis, qui in-
iquitatem sunt operati, parata est. Eorum poenam
sentient, quorum facta imitati sunt, vt inquit Augu-
stinus, quorum praesentes lætitiis amauerunt, & fu-
tura supplicia non crediderunt. Pax profectò, & mer-
ces, & beatitudo non super istos, sed super Israel.
Nam illi qui Deum viua fide credunt, & in omni lo-
co ipsam praesentem intuentur, & præcepta eius, qui
vbiq; praesens est, præterire erubescunt, vtq; ocu-
lis eius placeant, multiplices virtute se induunt, & in
eo quod semel cœperunt, vsque ad finem perseue-
rant, pace illa fruuntur, quam Dominus benefaciens
& benignè se gerens, bonis & rectis corde parauit in
aeternis sedibus suis.

Nunc ergo ad hanc domum Domini fabrican-
dam, ad virtutum lapides effodiendos, & ad studiosa
opera ex præscripto diuinæ legis præstanda, quid nobis
faciendum est? Certè, vt existimo, instrumenta ap-
ta quaerere, quibus hoc grande opus, quod iam per
abiectionem mali inchoatum est, persequi ac con-
summare possimus. Neque enim semel contigit, vt
quis locum aptissimum ad domum ædificandam ha-
beat, & materiam copiosam, & abundantem pecu-
niam, & artificem peritissimum; & tamen quia neces-
sarius instrumentis caret, nunquam domum ædifica-
tam videat. Aduersarius noster instrumenta quaesuit,
quibus à nobis virtutem eriperet. De quo dictum
est: Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sa-
gena sua, & congregauit in rete suam. Vtq; est
dolosè interrogatio, pro hamo, quæ dixit: Cur
praecipit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno
Paradisus? Et leuitatem mulieris expertus est. Deinde
vltus est ablatione timoris, pro sagena, dicens:
Nequaquam morietimini: & falsa promissione, pro
rete: Nam aperientur, inquit, oculi vestri, & eritis
sicut dii. Quia verò negotium illi successit ad vo-
tum, eadem arte instrumenta parandi ad fines præ-

A posteros assequendos, suos sectatores instruxit. Qua-
re dictum est in lamentatione assumpta super Ty-
rum: Diuitia tua, & thesauri tui, & multiplex in-
strumentum tuum, & cætera quæ sequuntur, cadent
in corde maris in die ruinae tuae. Nos autem vel ex
hoste nostro discamus, quomodo sint instrumenta
apta paranda ad virtutes assequendas. Nam si qui-
busdam instrumentis virtutes ipsæ à nobis tollun-
tur, quæ sunt tentationes & artes diaboli, quibus nos
ignorantes spoliat, contrariis instrumentis recupe-
randæ sunt, quibus humana industria diuinæ gratiæ
auxilio suffulta, virtutes de manu eas deprædantis
eripiat. Sanè recensitis multis, varisque rebus ad
vsum tabernaculi, & ad cultum diuinum præparatis,
subdit scriptura: Hæc sunt instrumenta taberna-
culi testimonij, quæ enumerata sunt iuxta præcep-
tum Moysi: vt iustus intelligat Dei tabernaculum,
quod in intimo cordis erigitur, & diuinum cultum,
quo Deus virtutum actibus adoratur, instrumentis
nonnullis indigere, sine quibus nec tabernaculum
erit sufficienter instructum, nec virtutum actiones
optimè præstabuntur. Beatissimus autem Patriar-
cha Benedictus in sua regula, instrumenta virtutum
appellauit ipsas virtutum actiones, quibus & à malo
auertimur, & bonum facimus, & diuina mandata
complemus. Et quidem sapienter: quoniam bona
opera sunt instrumenta, quibus ad perfectionem af-
cendimus, & ad beatitudinem peruenimus. At hoc
loco magis pressè instrumenti nomen accipimus.
Vocamus enim instrumenta virtutum adminicula
quædam, quæ ad virtutum actiones præstandas, & ad
habitus earum inferendos iuuant. Sicut enim ars car-
pentarij apta instrumenta habet, vt dolabram, as-
ciam, & ferram, & alia similia, quibus ligna scindit, &
dolat, & suum artificium conflat: ita & hæc ars asse-
quenda virtutis, sua habet instrumenta, non huma-
na industria sed diuina inspiratione reperia, quibus
virtus ipsa conquiritur. Hæc instrumenta nunc nos
explicare volumus, vt qui aitem virtutum adipiscen-
darum scribimus, rationem eas acquirendi monstre-
mus. Faxit Deus, vt in re vtilissima, & à paucis metho-
do & ordine explicata, ita procedamus, vt & legen-
tes, viam virtutis facilem & firmam inueniant, &
mens nostra, quæ hæc ex benignitate Domini medi-
tatur, nequaquam ieiuna & vacua persillat.

Aug. ib.

Abasur. 1.15.

Gen. 3.1.

Ibid. n. 5.

Exech. 27.27.

Exodi 38.21.

Bened. in reg. c. 4.



PARS SECVNDA

De Instrumentis assequenda Virtutis, pertinentibus ad intellectum.

VIRTUTES humanis actibus generantur: quod si non nimis pressè, sed aliquan-
tulum late intelligatur, omnibus virtutibus conuenire, certum est. Nam Virtutes,
quæ dicuntur acquisita, actibus humanis generari nemo dubitat: si enim actiones vir-
tutum vitia procreant, & homines virtuosos faciunt, cur actiones virtutum non virtutes pro-
creabunt, & homines studiosos & virtutum possessores efficiunt? Virtutes verò, quæ vocan-
tur infusæ, licet à Deo misericorditer homini donentur, tamen mens viri adulti, ad eas reci-
piendas humanis actibus, ex gratia & libero arbitrio procedentibus, aliquo modo disponitur, &
illis acceptis actibus ab eisdem virtutibus manantibus, earum augmentum meretur. Quare

D. Tho. 12. q. 63. art. 2.

in vniuersum verum est, virtutes omnes in homine adulto ab humanis actionibus pendere, eis-
que aut à principio efficienter gigni, aut meritorie ad promerendum adiuuari. Actio autem
humana, est actio hominis, ut homo est, qui cum homo ratione & libero arbitrio sit, apertum est
eam actionem humanam dici, qua propter finem aliquem cognitum ab operante ex deliberatio-
ne promanet. Atque adeò in actione humana studiosa & rationi consentanea (de hac enim
nunc loquimur) tria sunt consideranda. Alterum est, quòd intellectus eam cognoscat, & eli-
ciendam esse statuatur. Alterum, quòd voluntas eam accipiat, & prestare velit. Tertium, si
sit exterior, quòd externis viribus exerceatur. Hinc oritur, ut triplicia sint Instrumenta asse-
quenda virtutis: quaedam, quae intellectum in virtute erudiunt: alia, quae voluntatem ad virtu-
tis amorem mouent: alia, quae operi studioso prestando sunt adiumento. Instrumenta virtutis ad
intellectum pertinentia sunt tria: Cognitio Virtutis, appetitatio, & postulatio, de quibus in hac
secunda tractatione differendum est.

De Primo Instrumento, nempe de cog-
nitione Virtutis: eamque esse cognitu
difficilem.

CAPVT I.

COGNITIO alicuius rei, si ea bona sit,
& bona esse cognoscatur, ianua est ad
eius amorem & desiderium, quia nihil à
voluntate desideratur, aut diligitur, nisi
prius cognoscatur. Amor autem & desiderium, ini-
tium est adeptionis rei, quam amamus; nemo enim
apprehendere, & possidere curat, quod non deside-
rat, neque amat. Quamobrem ut aliquid liberè ap-
prehendatur, necesse est hominem prius in illud de-
siderio ferri, & ad desiderium per cognitionem intrare.
Hinc David ut principes terrae ad Christi oble-
quium & amorem impellat, prius eos ad cognitio-
nem vocat, quia videlicet non poterunt illum dili-
gere, nec illi subiici, quem ignorant: Et nunc, in-
quit, reges intelligite; erudimini, qui iudicatis ter-
ram. Ponite rudem atque rebellem mentem, &
ignorantiam ac caecitatem deserite: intelligite autem
bonitatem immensam & potestatem insuperabilem
Saluatoris. Tunc non sine fructu audietis quod se-
quitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei
cum tremore. Facile enim erit ei, quem Dominum
magnum cognouistis, cum timore seruire; & eum
quem summè bonum & amabilem intellexistis, non
sine debita adoratione & amore diligere. Et alio lo-
co idem Propheta inquit: Vniuersae viae Domini,
misericordia & veritas requirentibus testamentum
eius, & testimonia eius. Id est: Qui scrutantur le-
gem Domini, qui eius opera inuestigant atque co-
gnoscent, hi demum experiuntur, quam sint miseri-
cordiae & iustitiae plena, & ob id ea, ceu optimè con-
stituta, diligent. Ad idem alludit Salomon, cum ait:
Recti sunt omnes sermones mei, non est in eis pra-
uum quid, neque peruersum: recti sunt intelligenti-
bus, & aequi inuenientibus scientiam. Ac si diceret
sapientia: Cognoscite praecipua mea, & mandata mea
intellectu apprehendite: & tunc recta & suauia iudi-
cantes, facile vos in eorum custodiam inducetis. Et
Augustinus orat Deum agnoscere, ut eum valeat
amare. Lumen aeternum, ait, illustra super animam
meam, ut te intelligat, cognoscat, & diligit. Ob hoc
enim non te diligit Domine, si non diligit, quia non
te cognoscit: & te ideo non cognoscit, quia non intel-
ligit: & ideo non intelligit, quia lumen tuum non
comprehendit. Si ergo scopus nostri laboris post

Psal. 2.
10.

ib. n. 11.

Psal. 24.
11.

Prov. 8.
8.

Aug. So-
liloq. c. 1.
To. 9.

A detestationem delictorum nostrorum, & post pu-
gnam aduersus vitia, & post mortificationem passio-
num, est virtutem assequi, liquidum est, primum
instrumentum huius laboris esse, virtutem agnosce-
re. Ut scilicet cognitio virtutis in amore virtutis
trahatur, & amor desiderium inferat, & desiderium ad
opus prouocet, & opus aut virtutem gignat, aut eam
per modum meriti (in eo qui debite & prout opus est,
operatur) à Domino accipiat. Ac proinde, qui vult
virtutem aliquam, ut exempli gratia, humilitatem vel
obedientiam adipisci, conetur prius eius naturam co-
gnoscere, proprietates percipere, actiones proprias
eius & germanas addiscere, quas cognititas in exerci-
tationem producat. Idque esse necessarium & pri-
mum in hac arte studiosè viuendi, omnis experientia
proclamat. Quis enim vnquam artem pictoris aut
B statuarij optimè exercuit, antequam eius artis ratio-
nem agnouerit, antequam functiones eius discipli-
nae didicerit, & quo modo deducendae sint lineae, &
miscendi ac infundendi colores, & imagines effor-
mādae, calluerit: Ita profus studiosè operari nesciet,
& virtutibus animam decorare ignorabit, qui virtu-
tum naturam ac substantiam nescierit, ipsiusque
actiones rectissimas ignorauerit. Neque obstat quòd
multi idiotae & rudes homines, pauca de virtute no-
runt, & multa operantur, virtutem ignorant, quam
habent, & quam nec mens calet, nec lingua profert,
vita inculpatissima manifestat. Hoc inquam non ob-
stat, quoniam vera isti, licet quoad manifestatio-
nem naturae virtutis, sint elingues, non tamen sunt
C cognitionis eius expertes. Immo sublimis sentiunt
de virtute quam nos, qui multa de illa in ore gesta-
mus, & in conuersatione parum aut nihil eius habe-
mus. Huius autem indicium est, quòd cum aliqua de
virtute legunt, quae antea nunquam legerant, neque
audierant, se prius ita sensisse, & existimasse animadu-
uertunt. Atque adeò omnem operationem virtutis
cognitio eius praecedat, necesse est; & qui volunt
eam, qua adhuc carent, actione tenere, debent hoc
studium ab actu cognitionis incipere.

Et quidem primo aspectu virtutis notio facilis esse
se videtur. Facillimum enim est, lucem agnoscere,
quae sponte se oculis ingerit, & eam à caligine & ob-
scuritate distinguere. Pronum est, vitam intelligen-
re, quae motibus, & actionibus, & sensibus se prodit,
& eam à morte discernere. Neque videtur diffi-
D cile, veritatem à manifesto mendacio separare. Vir-
tus verò lux est, & vita, & veritas, cum vitium sit re-
nebra, & mors, & mendacium: quare facile erit,
quod vnumquodque sit, intellectu animaduertere.
Ad cuius confirmationem Prosper hac, ait: Qua-

ritus

Prosper.
lib. 3. de
vitiis con-
tem. c. 1.

ritis quantum à veris virtutibus virtutum similitudi-
nes distent? Non dico quantum à medicamento
venenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties
sanat, vt id defendere à mortis necessitate non va-
leat. Et venenum non auferri facit vitam corpori,
quasi auferenda non esset, nisi fuisset acceptum: sed
accelerat corporis mortem, quod erat aliquanto diu-
tius fortè victurum. Sed planè dico à veris virtutibus
tantum similitudines distare virtutum, quantum di-
stat à veritate mendacium: quia & similitudo virtu-
tis, quæ videtur virtus esse, cum virtus non sit, nihil
est aliud, quam mendacium, & ideo non est virtus
dicenda sed vitium. Et vera virtus est veritas, cui qui
amanter adhæserit, à peccati morte resuscitatus, mori
vltra non poterit, nisi cum ab ea deprauata volunta-
te recesserit. Sicut è contrario virtutis simulatio,
quæ est, vt dixi, mendacium veritati contrarium, ani-
mam separat à Deo vita sua non interitum, sed in
supplicio, quæ est illius mors, pœnaliter sine fine vi-
detur. Sic ille. At ex alia parte, si rem intimius con-
sideremus, & si verba. Prosper attendamus, ex ipsis
compertum erit, virtutis notionem admodum esse
difficilem, ac proinde eam esse magna attentione
considerandam. Licet enim virtus sit veritas, vitium
verò mendacium, tamen aliqua mendacia, probabi-
liora veris, & aliqua dubia, credibiliora rebus certis,
quæ se pro veris & certis venditant, & veri ac certi
operimento se vestiunt. Et eo ipso quòd vitium vocatur
similitudo virtutis, apparet quam difficile erit, veri-
tatem virtutis agnoscere, & eius similitudinem &
imaginem, quæ ad decipiendum venit, repellere ac
reprobare. Vitrum viride, eminus positum, ob simili-
tudinem smaragdum videtur, & vitrum rubrum pro
pyropo ab ignorantibus accipitur: & sic vitium, quia
aliquando colorem virtutis induit, pro ipsa virtute,
nisi bene examinetur, in hospitium mentis habitator
excipitur. Cum commixtum fuerit æramentum
argento, inquit Irenæus, quis facile poterit, rudis cum
sit, hoc probare? Sic quæ sæpe mixta sunt vitia vir-
tutibus, & in eadem actione quidpiam inuenitur,
quod virtutis est, & aliud quid, quod à vitio subdole
adulteratum est, quis sine magna consideratione, ac
sine luce Dei, poterit vnum ab alio distinguere? Li-
ceat ergo nobis ad hanc rem similitudinem quan-
dam Origenis accommodare: vt sicut in lege veteri
erant Prophetæ, qui vera prædicebant, & pseudopro-
pheta, qui falsa nuntiabant, & sicut nunc in lege gra-
tiæ sunt doctores, qui populo vera proponunt: &
hæretici qui cerebri à diabolo decepti deliramenta
diuendunt: ita intelligamus esse virtutes veras &
virtutes falsas, quæ vitia vera cum sint, eo difficilius
cognoscuntur, quo dissimulantiùs virtutum vestibus
occultantur.

Multa igitur sunt, quæ notionem virtutis reddunt
difficilem: Nam virtus intus in animo residet, quam
nec oculi carnales vident, neque aures audiunt, nec
sensus alij percipiunt. Et licet aliquæ virtutis externæ
actiones sensibus pateant, tamen pulcherrimum &
pretiosissimum eius, quod in intimo purissimæ in-
tentionis latet, nullo modo ad plenitudinem mani-
festant. Ea quoque, quibus non assueuimus, obscura
& difficilia nobis sunt, & ob ruditatem & negligenti-
am nostram, sensibilia habemus satis familiaria, spi-
ritualia verò rarò, & quasi aliud agentes, à longè sa-
lutarum. Accedit ad hoc vitiorum dolositas, quæ se,
vt cœpimus dicere, virtutes simulant, vt ignorantes
decipiant. Ephratai, in libro Iudicum, se Galaaditas
simulabant, vt mortem effugerent: sic in corde no-
stro, superfluitas vocatur necessitas, profusio, largitas:
ambitio, magnanimitas, & vitium, virtus fingitur, ne

A inter virtutis cupidos funditus pereat. Et sicut Iudæi
[miserunt ad Dominum insidiatores, qui se iustos si-
mularent, vt caperent eum in sermone: sic damo-
nes mittunt ad membra Christi, vitia sub operimen-
to virtutis, vt nimirum iustos capiant, & in carcerem
impietatis coniciant. Venena, inquit Hierony-
mus, non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non
decipiunt, nisi sub specie, vmbraque virtutum. Et
Gregorius Prælatum admonens, fufius id explicat in
hunc modum: Scire rector debet, quòd plerum-
que vitia, virtutes se esse mentiuntur: Nam sæpe sub
parcimonie nomine se tenacia palliat, contraque se
effusio sub appellatione largitatis occultat. Sæpe in-
ordinata remissio, pietas creditur, & effrænata ira,
spiritalis zeli virtus aestimatur. Sæpe præcipitata
actio, velocitatis efficacia, atque agendi tarditas, gra-
uitatis consilium putatur. Vnde necesse est, vt rector
animarum, virtutes ac vitia vigilantia cura discernat,
ne aut cor tenacia occupet, & parum se videri in
dispensationibus exulteret, aut eum effusè quid im-
penditur, largum se quasi miserando gloriatur: aut
remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia
subditos pertrahat, aut immaniter feriendo quod de-
linquitur, ipse grauius delinquat: aut hoc quod agi
rectè ac grauius potuit, immature præueniens leui-
get, aut bonæ actionis meritum differendo, ad dete-
riora permittet.] Hæc Gregorius. Si autem inimicos
visibiles, cum se amicos simulant, vix cognoscimus, &
per multos dies ab ipsis decipimur: quid mirum si
inimicos inuisibiles & calidissimos difficile cogno-
scamus?

C Ad hoc ipsum pertinet, quòd sæpe sunt prorsus si-
miles externæ actiones virtutum atque vitiorum, &
interius later intentio, quæ illas inter se discernat. Et
quia, vt dixit Ieremias, prauum est cor omnium & in-
scrutabile, multoties ipse homo operans, suum cor
ignorat, & dum ex bona intentione operari se cre-
dit, præpostera intentio in latebris sedens, actionem
hominis turpat & vitiat. Firque plerumque, vt vi-
tium in se validum & robustum sentiat, qui se virtu-
tem auxisse putabat. Exemplo fit hoc manifestum.
Si corpus tuum ex detestatione peccatorum, & ex de-
siderio imitationis Christi duriter tractes, actio vir-
tutis est: si ex desiderio laudis humanæ castiges, actio
vitij est. Sed ò quoties intentio te sefellit! O quoties
castigationi corporis, vt ex virtute vitium fieret, se
laudis humanæ desiderium inseruit! O quoties cum
solus es, & à conspectibus hominum sequestratus,
austeritatem deponis, ex quo, nisi caucitas, facile po-
teris cognoscere, te in multis operibus humanam
laudem voluisse piscari! Est qui faciat eleemosynam
ex pietatis affectu, & est qui faciat ex humanæ laudis
desiderio, vt videatur ab hominibus: est qui orat ex
religione, vt Deum colat, & qui ex hypocyty, vt de-
uotus appareat. Ecce duas eleemosynas & duas ora-
tiones externa specie similes, quarum alteram virtus
genuit, alteram verò vitium parturuit. Quis non in-
telligat, facile eum qui virtutem insequitur, posse de-
cipi, & in scopulos vitiorum illidi? Petrus sanè Chry-
sologus tantam aliquando inter fraternam charita-
tem, & ambitionem, aspexit similitudinem, vt hanc
illius simiam vocare non dubitauerit: Ambitio,
inquit, est quædam simia charitatis; Charitas enim
patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro
caducis: charitas benigna est pauperibus, ambitio di-
uitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio
pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat, sed
longè dissimili modo. Ex hac autem actionum simi-
litudine externa ortum habet, vt vitij implicari, se
studiosos & virtutis amatores videri velint. Et, vt ait

Lucæ 20.
20.

Hieron.
epist. 7.
ad Lat.
c. 4.

Greg. 2. p.
Pastor. c.
9.

Ierem.
17. 9.

Matth. 16.

Petr.
Chrysol.

Irenæus, pra
fat. c. ha-
ref.

Origen.
Hom. in
Lucam.

Iudic. 22.
5.

Prosper:

Proff. lib. 3. de vita consempl. c. 1.

2. Reg. 15. 2.

ibid. n. 6.

Cass. col. 4. c. 20.

Ierem. 15. 19.

Prosper: Superbus vult se credi constantem; prodigus, liberalem; avarus, diligentem; temerarius, fortem; inhumanus, parcum; gulosus, humanum; ignavus, quietum; timidus, cautum. Impudentia, fiducia sibi nomen adscribit: procacitas appellationem libertatis ostendit: eloquentiam fingit verboritas, & curiositatis malum sub studij spiritualis colore delitescit.] Sic ille. Habemus autem ad hoc appositissimum sacrarum scripturarum exemplum: Absalom enim stans iuxta introitum portæ] civitatis, litigantes ad iudicium venientes, seque salutantes resalutabat, & osculabatur eos: auditusque eorum negotiis exclamabat: Videntur mihi sermones vestri boni & iusti; sed non est, qui vos audiat, constitutus à rege.] Quis hic principis affabilitatem & amorem iustitiæ non miretur? Quis non eum virtutis amatorem putaret, quem in tanta maiestate benignitas in pauperes afficiebat, & amor iustitiæ ad compassionem excitabat? At istæ exteriores actiones, quæ videbantur affabilitatis & æquitatis partus, te vera non erant nisi iniustitiæ & ambitionis effectus. Et appetitus domini, & voluntas regnum à iusto possessore quin & à patre rapiendi, sermones istos affabiles, & iustitiæ expressivos ex ore superbissimi adolescentis extorsit. Denique faciebat hoc omni Israel venienti ad iudicium, & sollicitabat corda filiorum Israel.] Vide quàm soleant esse virtutum & vitiorum actiones similes, quas non aliquod externum signum separat, sed sola voluntas interna distinguit.

Hæc autem vitia, quæ virtutes apparent, & cum excidium animæ sunt, quasi animæ munimentum se ingerunt, sollicitiori cura fugienda sunt, quàm illa, quæ palam & sine villo fuce virtutes impugnant. Hostis enim manifestus facilius cadit, quàm occultus, & qui ex insidiis emergit. Vitium autem suam tetram faciem ostentans, hostis est manifestus, quem spiritualis vir cum indignatione repellit: sed vitium virtutis operimento velatum, nisi attentus sit animus, non eludetur, sed eludet. Perniciosiora, inquit Cassianus, & à remedio longinquiora sunt vitia, quæ sub specie virtutum & imagine spiritualium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expositi, ac manifesti languores, & arguuntur committunt, & sanantur: illa verò, dum sub prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quosque periculosius faciunt ac desperatius ægrotare.] Ex his manifestum est, cognitionem virtutis esse difficilem, maximumque animæ detrimentum esse, si vitium esse virtutem cogitemus, & illud pro ista sumamus. Quare hæc sit prima cura volentis in virtute proficere, eam clarè apertèque cognoscere, & diligentissima disquisitione à vitis separare. Cui labori non leuem profectò mercedem promittit Dominus, per Ieremiam dicens: Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.] Nihil enim est vitio vilius, nihil virtute pretiosius. Qui igitur hæc sepatauerit, & vitium odio, virtutem verò amore dignam prædicaverit, is se ori Domini simile faciet. Nam sicut Dominus ore suo iustos approbat, & iniquos reprobat, ita & hic virtutem à vitio discernens, bonum laudat, vitiumque condemnat. Quod si nō otio virtutis, primum instrumentum acquirenda virtutis est, nostri instituti putamus, breuem aliquam singularium virtutum cognitionem tradere, qua lector, quid quæque virtus sit, & quas actiones habeat, patenter intelligat. Et hoc ipsum est, modum ac rationem huius instrumenti exercendi tradere, virtutum naturas breuiter dilucidèque tractare.

A De multiplici Virtute Theologica, & Morali, infusa, & acquisita: Ac de variis ipsarum gradibus.

CAPVT II.



VITIPLEX est apud Theologos partitio virtutis, à nostro instituto prorsus aliena, ideòque à nobis omitenda; & duplex tantum, quæ ad hoc opus attinet, explicanda. Est ergo prima partitio virtutis, qua diuiditur in Theologicam & Moralem. Virtus Theologica est, quæ (vt scholæ more loquamur) Deum habet pro immediatò obiecto. Vel est illa, quæ primò & per se respicit Deum, & si alia respicit, est tantum in ordine ad Deum, & quatenus induunt aliquam (vt ita dicam) rationem Dei. Talis, exempli gratia, est Fides, quæ credit Deum ipsum primò atque immediatè, & credit Deo dicenti: & si alia credit, est quia reuelata à Deo, & in ordine ad cognoscendum Deum, & seruendum Deo. Virtus Moralis est, cuius obiectum est aliquid creatum, ad honestam vitam traducendam pertinens. Vt iustitia versatur circa ius, quod vnicuique tribuendum est; religio circa cultum Dei, & sic de reliquis.

Virtutes Theologicæ sunt tres, Fides, Spes, Caritas. Fides respicit Deum, vt veracem: spes respicit Deum, vt beatitudinem à nobis obtinendam: caritas respicit Deum, tanquam summum bonum propter se diligibile. De his inquit Apostolus: Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: maior autem horum est caritas.] Et Augustinus: Tria hæc sunt, quibus & scientia omnis & prophetia militat, fides, spes, caritas.] Et Bernardus: Sed sciendum est, quòd quadam summæ virtutes sunt, spes, fides, caritas. Nam à quibus habentur, vtique veraciter habentur. Et tandem Gregorius tribus filiabus Iob putat has virtutes fuisse signatas. Sic enim ait: Septem filij nobis nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis, Sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem Propheta dinumerat, cum spiritus mentem fecundat, dicens: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.] Cum ergo per aduentum Spiritus sancti, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini in animo vnicuique nostrum gignitur: quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius seruat, quo amor æternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filij, tres procul dubio sorores suas, quia quidquid vile hi virtutum sentas faciunt, spei, fidei, caritati que coniungunt.] Sic ille.

Virtutes Morales præcipuæ sunt quatuor; Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Hæc vocantur cardinales, id est, principales: quoniam inter omnes virtutes, ad humanam vitæ honestatem pertinentes, præcipuum locum habent: suntque velut cardines, in quibus honestas omnis nostra reuoluitur. Has scriptura sacra scetus vocat diuinæ sapientia: Sobrietatem, inquit, & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem, id est, fortitudinem, quibus vitius nihil est in vita hominibus. Et secundum Gregorium, in quatuor angulis domus sancti Iob, & in quatuor fluminibus Paradisi, figuratæ sunt. In quatuor, inquit, angulis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostræ ædificium, prudentia, tempe-

rantia,

1. Cor. 13. Aug. 1. de doctr. christ. ca. 37. Bern. de ordine vi. ca.

Greg. 1. mor. c. 18.

Isaia 11. 2. 3.

Septem. 7.

Greg. 2. mor. c. 27.

rantia, fortitudo, iustitia sustinet. In quatuor ergo angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura confuigit. Vnde & quatuor Paradisi flumina terram irrigant; quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium aestu temperatur. Ad idem pertinet quod ait Ambrosius, has eadem virtutes quatuor capitibus siue initiis horum fluviorum designari. Ex hac, inquit, anima, quae culta est, non ex ea quae inculta, fons iste procedit, ut irriget Paradisum, hoc est quaedam diversarum fructu virtutum, quarum sunt quatuor initia, in quae sapientia ista diuiditur. Quae sunt quatuor initia virtutum, nisi vnum prudentia, aliud temperantia, tertium fortitudinis, quartum iustitiae: Quae etiam sapientes huius mundi ex nostris assumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt. Hae ille. Qui & postea latissime & eloquentissime qualitates illorum quatuor fluminum ad virtutes applicat, & quae quoque significetur, apte designat. Lyranus etiam per illa quatuor deambulatoria inter columnas cedinas, quae fecit Salomon in domo saltus Libani, eadem quatuor virtutes per tropologiam signatas esse autumat: in his enim verus Salomon, Christus, deambulat, & apud iustas animas laetitiam caprat. Illuminatissimus tandem Ioannes Rubrochius quatuor altaris cornibus, & quatuor coloribus Tentorii, quod erat in Tabernaculo foederis, dicit quatuor has virtutes significari. De primo sic ait: Isthac cornua quatuor, haud absurdè quatuor designant virtutes cardinales, ut pote quod vnitati nostrae singularem quandam conferunt ornatum ac decorem, dum per eas, & foris virtutum actionibus incumbimus, eademque intorsum nos, ceu cardines, mouent, & robur ac firmitatem praestant insuperabilem, vbi per eas intro nos recipimus, ac possidemus cordis vnitatem. De secundo verò sic ait: In introitu verò atrij, id est, vitae virtutibus deditur, seu virtutum studiosae, tentorium hoc, vel cortina viginti cubitorum in longitudine, & quinque in altitudine, ex hyacintho fuit, & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta opere plumarij: vbi cum sint quatuor colorum genera, quatuor nobis referunt virtutes principales, in quibus moralis omnis consistit exercitatio. Per hyacinthum, cuius est color instar violae, seu caeli sereni, discretionis seu moderationis virtutem accipimus: quae vim exornat rationalem, edocetque distinctè in omnibus hominem, vti ea aut agenda sint aut omittenda. Per purpuram, quae est coloris rubri, concharum sanguine tincta, fortitudinis est expressa virtus in vi irascibili, ut pote quae proprium naturae extinguit ac superat sanguinem, dum sese exercet homo, non pro naturae appetitione, ut affectu, vel propensione, sed rationis, seu discretionis, ac moderationis suauis, consilioque: in qua oblectatione mores eius proprio illius sanguine tinguntur, & exornantur. Coccus autem bis tinctus, qui itidem est coloris rubicundi, ex vermicolorum sanguine confecti, condolentia, seu compassionis, ac commiserationis virtutem significat, quam geminam seu duplicem esse oportet, eo quod vim implere habeat concupiscibilem, quo vnusquilibet ex vera condolentia & sui ipsius misereat & cuiuslibet ceterorum, sitque, ac praeter tñ aliis quidquid potest, & ratio dicitur, tum etiam sibi ipsi in eodè amoris gradu. Sic planè aequum esset, nostra nos ex commiseratione seu compassionem dispertire, seu disseccare, atque contere, seu lacerare corda, ac proprio inficere & tingere cruore, id est, vique adeo & nobis ipsis & proximis virtutes & vitam cupere, atque ardentè optare, ac desiderare rectè institutam, ac bene compositam, ac ordinatam, ut vbi

A diuersum seu cōtrarium perciperemus, ipse ad eò sanguis noster non alteraretur modo, sed etiā immutaretur. Deniq; byssus retorta, quae est instar niuis, candidi nitidq; coloris, synceram ac minimè fictam designat innocētiam, id est, internam cordis puritatem, & externam sensuum, cunctarumque actionum, vel operum munditiam atq; candorem. Haec tenus ille.

Secunda partitio virtutis est, quae eam distribuimus in virtutem infusam & virtutem acquisitam. Virtus infusa est, quae cum sit supra naturam nostram, per actus nostros non efficitur, sed ex Dei dono & per eius infusionem habetur. Virtus verò acquisita est, quae cum respiciat finem consentaneum humanae rationi, & nihil amplius, studiosis actibus à nobis elicitis generatur. Hanc solùm cognouerunt Philosophi, illam verò, quae propria est fidelium, Theologi à Deo docti & illuminati tradiderunt.

Virtutes infusae praecipuae sunt tres illae, quas Theologicas diximus, qui nos Deo, non solùm vt auctori naturae, sed vt rerum supernaturalium auctori coniungunt. Sunt etiam omnes virtutes morales, quas Deus, vltra habitus virtutum moralium acquisitos, nobis donat, vt pedisse quas charitatis, quibus anima decenter ornatur, & ad omnia munia spiritualis vitae habilis redditur. Vnde in iustis qui se in virtutibus exercuerunt, duplex est virtus iustitiae, altera infusa, altera acquisita; & quod de iustitia dicimus, de aliis omnibus virtutibus moralibus dictum intelligamus. Has autem virtutes morales infusas, praeter acquisitas, esse admittendas, Theologi ex scripturis & patribus verisimiliter colligunt. Paulus enim Galatis scribens, de Deo ait: Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: quod licet de virtutibus miraculorum dictum sit, non incongruè de moralibus virtutibus intelligitur. Et ad Colossenses: Non cessamus orare pro vobis, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei in omni virtute. Et in libro Sapientiae: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Haec & alia similia, non ineptè ad virtutes infusas accommodata sunt. Ad idem adducitur Ambrosius, qui ait: Tibi ergo attende, & te ipsum scito, hoc est, non quales laceratos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas passiones, quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, vnde omnia consilia proficiuntur, ad quam operum tuorum fructus referunt. Illa est enim plena sapientiae, plena pietatis atque iustitiae, quoniam omnis virtus à Deo est. Cui dicit Deus: Ecce ego Ierusalem pinxi muros tuos, illa anima à Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae, & paterna imago substantiae. Hieronymus quoque dum praefatur ad lamentationes Ieremiae, ait: Haec lamentatio, quam nos dessemus, tanto illa durior & amarior esse probatur, quanto verius cuncta haec & euidentius in fideli anima, quam intra illius templi parietes erat. Hoc sanctius multo fuit, quod in ea erat templum. Non enim auri & argenti metallo, sed virtutibus animi radiabat. Habebat enim arcam intra se & duo Cherubim, id est, fidè Patris, & Filij, & Spiritus sancti sitam. Sed nunc nihil eorū apparet. Ablata sunt haec cuncta, nudata est domus Dei omnibus ornamentis suis, cunctisque quae diuinitus consequuta fuerat, spoliata muneribus. Et Gregorius inquit de Spiritu sancto: In sanctorū cordibus iuxta quasdam virtutes semper permanet, iuxta quasdam verò recessurus venit, & venturus recedit. His testimoniis

Ambr. li. de parad. 6.3.

3. Reg. 7. 2.

Rubro. com. in taber. foederis c. 7.

Isid. c. 5.

Galat. 3. 5.

Coloss. 1. 9. 10. 11.

Sapient. 7. 11.

Ambr. 6. exam. ca. 7.

Hier. praefat. in Ieremias.

Gregor. Hom. 1. in Ezechiel.



ac præcipuè vnanimi scholasticorum Theologorum consensu & ratione, quam statim dicemus, stabilitur virtutum moralium infusarum auctoritas.

Virtutes acquisitæ sunt quatuor iam dictæ, quas cardinales vocauimus, & aliæ quas infra vt eis annexas referemus, quatenus actionibus nostris acquiruntur. Distinctionem autem virtutum infusarum & acquisitarum, vt iustitiæ infusæ, & acquisitæ, & simul rationem, virtutes infusas statuentem, accipe, quæ ex Thoma Aquinate manifestè colligitur. Nam fidelis homo cuius est duarum ciuitatum, & ad duas respublicas pertinet, nimirum ad humanam ciuitatem, quatenus est homo rationis capax, quirecta ratione regitur, & ad ciuitatem cælestem, quatenus est pars Ecclesiæ, cuius sanctorum, & domesticus Dei, qui diuinis legibus gubernatur. Ob duos ergo fines præcipuos potest quamlibet actionem virtutis præstare: aut propter finem reipublicæ humanæ, qui non est alius quàm conformitas ad rationis regulam, & virtutis honestas: aut propter finem reipublicæ spiritualis, ordinatæ ad supernaturalem felicitatem, qui est conformitas ad leges supernaturales, & diuinas, & honestas, quæ elucet in facienda voluntate Dei. Actiones autem, quæ diuersos fines respiciunt, diuersæ sunt secundum naturam suam, & finibus suis proportionatæ, & conuenientes sibi habitus deposcentes, ex quibus oriuntur. Vnde cum abstinere à cibis, quod est temperantiæ: aut pericula tolerare, quod est fortitudinis: aut ius vnicuique tribuere, quod est iustitiæ: aut medium in omnibus quærere, quod est prudentiæ: fieri possit, vt conueniens vitæ rationali, vel vt conueniens vitæ spirituali: vt ordinatum ad honestatem virtutis, vel vt ad felicitatem æternam assequendam: inferatur, duas esse actiones abstinentiæ, aut cuiuscumque moralis virtutis, similes quidem substantia, sed dissimiles fine, duobusque principia deponere, quorum alterum operatur propter humanam honestatem, & constituit virtutem acquisitam, quam actus nostræ naturæ congruentes generabunt: alterum verò operatur propter honestatem supra naturam, & constituit virtutem infusam, quam non industria nostra gignit, sed Deus in nobis sine nobis infundit. Hæc satis sunt ad declarandum in generali naturam virtutum infusarum & acquisitarum, quæ eandem habent actiones, si substantiam actuum consideremus, distinctos tamen fines, quorum causa magnum inter se discrimen admittunt. Nec ista cognoscere, spirituali viro est inuile, immò maximè necessarium, tum vt naturas virtutum intelligat, tum vt in operibus studiosis præstantissimum finem quærat, & sic amplius in omni perfectione proficiat. Alias autem subtilitates, ad generationem virtutum pertinentes, meritò reticemus, quia ad honestam & spiritualementem vitam traducendam, & ad ipsas virtutes comparandas, minimè necessarias reputamus.

Iam ad gradus virtutis explicandos veniendum est; Et quidem virtus generaliter sumpta, quatuor gradibus comprehenditur. Primus est, quo operibus studiosis insistimus propter virtutis pulchritudinem & honestatem. Et hoc gradu continentur omnes virtutes morales acquisitæ, quibus antiqui Philosophi studuerunt. Secundus est, quo operamur bonum propter Deum, finem nostrum supernaturaliter cognitum. Atque in isto gradu sunt omnes virtutes morales infusæ, quæ in præstantiorem finem ten-

dunt, & sunt propriæ fidelium & iustorum, quibus lux supernaturalis affulsi. Tertius est, quo operamur bonum, non solum propter Deum, sed etiam circa Deum, quem actibus virtutis attingimus. Ad hunc autem gradum pertinet virtutes Theologicæ, quibus Deum & supernaturalia credimus: Deum æternamque speramus: Deum, & nos, ac proximos, propter Deum ipsum, diligimus. Quartus est, quo officia virtutis obimus, non tantum propter Deum, sed modo quodam diuino, quæ iusti & maximè perfecti non nunquam experiuntur. Et ad hunc gradum spectant omnes virtutes infusæ, tam Theologicæ quàm morales, vt septem spiritus sancti donis adiutæ, de quibus donis alio loco, nempe dum de contemplatione, Deo votis nostris annuente, agemus, vberius disputabimus.

Hi sunt gradus, quibus omnis virtus comprehenditur. At in quacumque virtute speciali gradus assignare difficillimum est: quod agnouit & testatus est Gregorius, sic scribens: Hos autem virtutum gradus, non magni laboris est, prendere, cum ab vna ad alteram transitur. Sed subtilissima disputatione res indiget, cum mens pensare nititur in vna eademque virtute, quibus profectus sui gradibus eleuetur. Vt enim prima elementa virtutum, fidem scilicet & sapientiam, loquar, obtineri singula perfectè nequeunt, nisi ad hæc distinctis ordinatisque modis, quasi quibusdam gradibus, ascendamus. Ipsa enim fides, quæ ad bona alia capeffenda nos imbuat, plerumque in exordiis suis, & nutat, & solida est, & iam certissimè habetur; & tamen de eius fiducia adhuc sub dubitatione trepidatur. Pars namque eius prius accipitur, vt in nobis postmodum perfectè compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requisitus in Euangelio pater sanandi pueri, non dixisset: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Adhuc ergo ascendebat ad fidem, quam iam perceperat, qui vno eodemque tempore clamabat, se & iam credere, & adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc est etiam quod Redemptor nostro à discipulis dicitur: Auge nobis fidem:] vt quæ iam accepta per initium fuerat, quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. Ipsa quoque sapientia, quæ esse bonorum operum solet magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur: vt ad eam procul dubio magni moderaminis gradibus ascendatur.

At licet hoc ita sit, quod non est facile in vna quaque virtute gradus inuenire: Sed tentabimus, aliorum vestigiis inherentes, tribus modis gradus cuiusque virtutis assignare. Primus modus consideratur ex incremento perfectionis, quod bonus actus potest suscipere, & sic tres sunt gradus in qualibet virtute. Primus est, cum actiones virtutis, verbi gratia, mansuetudinis, tempore tranquillitatis vt cumque præstamus. Secundus est, vt cum tentationibus & molestiis impediti, eas toleramus, & fortiter resistentes in cepta virtute persistimus. Tertius est, cum tentationis & laboris tempore, non solum perseueranter, sed etiam delectabiliter, virtutis actiones exercemus.

Secundus modus consideratur ex variis statibus vitæ spiritualis & gradibus spiritualium virorum. Secundum quam considerationem tres sunt etiam gradus cuiusque virtutis. Primus est, initium virtutis, quod reperitur in incipientibus. Et in hoc gradu virtus cum difficultate operatur, aliquando saltem in leuibus à contrariis prosteritur, & magis actibus exterioribus, quàm interioribus pascitur. Secundus est profectus virtutis, & residet in proficientibus. In quo gradu virtus facilius procedit, vehemen-

tius,

D.Tho.
1.2. q. 63.
art. 4.

Greg. 12.
mor. ca.
14.

Mar. 9.
23.

Luc. 17. 5.

tius & frequentius resistit; & ex exterioribus ad interiora confurgit. Tertius est, perfectio virtutis: qui pertinet ad perfectos. Atque in isto gradu; virtus sine vlla difficultate, saltem intrinseca, a vitiis, aut passionibus inordinatis procedente operatur; nunquam (si statum perfectionis inspicimus) aut leuissimè vincitur, & cum summa tranquillitate & voluntate acibus studiosis distinetur.

Tertius modus, ad eisdem status vel ad partes vitæ spiritualis, potest referri. Et sic quatuor sunt gradus cuiuslibet virtutis, secundum quos virtutes dicuntur politicae, purgatoriae, purgati animi, & exemplares. Quorum tres primi, in virtutibus hominum possunt inueniri; quartus verò ad Deum pertinet, omnium virtutum auctorem. Oportet enim, vt inquit Augustinus; quòd anima aliquid sequatur, ad hoc vt ei possit virtus innasci: & hoc Deus est, quem si sequimur, bene viuimus. Vnde prouenit, vt in Deo sint exemplaria humanarum virtutum, & hæc exemplaria, virtutes exemplares sunt appellata. Hanc virtutum, seu graduum cuiuscumque virtutis partitionem; Plotinus Philosophus Platoniceus ex doctrina Platonis latissimè differuit, & Macrobius elegantissimè in compendium rededit: & Diuus Thomas Aquinas subtilissimè & verissimè declarauit. Sed in eundem erit, hos virtutis gradus verbis Macrobij explicatos audire. Ille sic ait: Quatuor sunt quaternariam genera virtutum. Ex his prima politica vocantur, secunda purgatoriae; tertia animi iam purgati, quarta exemplares. Et sunt politicae, hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipublicæ consulunt, vrbes tuentur: his parentes venerantur; liberos amant, proximos diligunt: his ciuium salutem gubernant: his socios circumspicere prouidentia protegent, iusta liberalitate deuincunt: hisque sui memores alios fecere merendo. Et est politica prudentia, ad rationis normam, quæ cogitat, quæque agit, vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanique acibus, tanquam diuini arbitris, prouidere. Prudentia insunt ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis est, animum supra periculi metum agere, nihilque, nisi turpia, timere: tolerare fortiter vel aduersa vel prospera. Fortitudo præstat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperantia, nihil appetere potentendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam sequuntur, modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia. Iustitia, seruate vnicuique quod suum est. De iustitia veniunt; innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. His virtutibus, vir bonus primum sui, atque inde reipublicæ, rector efficitur, iuste ac prouidè gubernans humana, diuina non deserens. Secunda, quas purgatorias vocant, hominis sunt, qui diuini capax est, solumque animum eius expediunt, qui decreuit se à corporis eotragione purgare; & quadam humanorum fuga solis se inferere diuinis. Hæc sunt otiosorum (id est contemplatiuorum) qui à rerum publicarum acibus se sequestrant. Quod, quando non instat necessitas, vitiosum non est.

Otium enim sanctum querit charitas veritatis, inquit Augustinus; negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Harum quid singula velint, superius expressimus; cum de virtutibus philosophantium diceremus, quas solas quidam existimauerunt esse virtutes. Tertia sunt purgati iam defæcati que animi, & ab omni mundi huius aspergi-

A ne presè purèque deterfi. Illic prudentia est, diuina non quasi in electione præferre, sed sola nosse: & hæc, tanquam nihil sit aliud, intuiti. Temperantia, terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus obliuisci; (quoad inordinatos scilicet motus.) Fortitudinis, passiones ignorare; non vincere; vt nesciat irasci, cupiat nihil. Iustitia, ita cum superna & diuina mente sociari, vt setuet perpetuum cum ea sædus, imitando. Quarta, exemplares sunt, quæ in ipsa diuina mente consistunt, quam diximus esse vocari: à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem desluunt. Nam si rerum aliarum, multo magis virtutum ideas esse in mente, credendum est. Illic prudentia est, mens ipsa diuina: Temperantia, quòd in se perpetua intentione conuersa est: Fortitudo; quòd semper idem est, nec aliquando mutatur: Iustitia, quòd perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur. Hæc sunt quaternariam quatuor genera virtutum, quæ præter cætera, maximam in passionibus habent differentiam sui. Passiones autem (vt scimus) vocantur, quòd homines metuant, cupiuntque, dolent, gaudentque. Has primæ molliunt, secundæ, quoad vitiositatem, auferunt, tertiæ obliuiscuntur; in quartis nefas est nominari. Hæc omnia Macrobius, præter pauca quædam verba, quæ ad eius expositionem ipsius dictis inserta, & vitulis conclusa, à nobis adiecta sunt. Quæ consultò retulimus, vt quid Philosophia de virtutum perfectione assequuta fuerit, & legamus, & admiremur. Nec in sola admiratione istudendum est, sed ex tota mente letandum, quòd, quam illi Philosophi perfectionem mente conceperunt, nunquam tamen habuerunt, in nostris, non dico philosophis aut sapientibus, sed in rudibus & idiotis, qui perfectionem sentiunt, habemus. Sonet Christus in dictis huius sapientis, adde illis gloriam Dei, ex virtute quæsitam, & nihil aliud de sublimitate virtutis, quam quod ipse dixit ex ore Augustini, aut Bernardi, aut Cassiani, poteris sperare. Quare adducor ad credendum cum

B Ambrosio, quòd sicut sapientes huius mundi notionem quatuor cardinalium virtutum ex nostris acceperunt, ita & gradus earum, & has virtutes purgati animi, nò ex aliis quam ex fidelium scriptis vsurparunt. Habemus ergo iam septem virtutes, tres Theologicas, fidem, spem, charitatem; & quatuor morales, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam. His annectuntur aliqua dona Dei & omnes aliæ virtutes, quæ vocantur partes aut comites earum, quia aliqua ratione ipsarum vim & naturam participant. Quare Gregorius postquam dixit per quatuor angulos domus sancti Iob, quatuor cardinales virtutes fuisse signatas, subdit: Intra hos quatuor domus angulos, filij coniuuantur, quia intra arcana mentis; quæ principaliter his quatuor virtutibus ad summam rectitudinis eulmen erigitur, virtutes cætera; quasi quadam cordis soboles se inuicem pascunt. Nunc igitur omnium virtutum naturas explicemus; & ad hæc septem virtutum capita iue principia referamus. In qua tractatione ita procedendum erit, vt ad hoc primum instrumentum assequenda virtutis; quòd in eius cognitione positum est, scribendum, non nos laudatores virtutum, quòd prolixum esset, sed tantum expositores exhibeamus. In vnaquaque autem virtute, quatuor non longe à more scholastico, proponenda sunt. Primò, quid ipsa virtus sit. Secundò, quæ incitamenta ad eam querendam nos moueant. Tertid, quas illa virtus actiones

C D E

Aug. lib. de morib. Eccl. c. 6. To. 1.
Ploti. Enneade 1. lib. 2. ar. c. 3.
Macrobi. li. in somnium Scipion. c. 8.
D. Tho. 12. q. 61. art. 5.

Ambrosi. de parad. c. 3.

Greg. 2. mor. ca. 27.

Aug. 19. de ciuit. c. 19.



habeat. Quod, quo modo erit postulanda. Definitio virtutis erit utilis ad cognitionem: incitamentum triplex ad meditationem: actio multiplex ad exercitacionem, & postulatio ad orationem. Sic in hoc primo instrumento habebimus, non tantum quo virtutem cognoscamus, sed quo ad illam incitemur, & quo à virtutum datore deuote & humiliter postulemus. Aliquando etiam, si Deus dederit, quam copiosa leges hic ad mentalem orationem lateat, demonstrabimus. Illud tantum hic animaduertendum est, nos in dispositione virtutum tantillum à Theologorum doctrina recessisse. Nam illi fidei, vt dona quædam, & effectus illius, timorem seruile & purificationem cordis annectunt, nos meditationem, contemplationem, contemptum sæculi, & cordis purificationem atximus, quoniam nisi res fidei ruminentur, & considerentur, nec ad timorem ex nostra culpa incitant, nec ad contemptum terrenorum ac cordis purificationem inuitant. Illi fiduciam sub fortitudine ponunt, nos spei eam adiungimus; quoniam ex eo quod à Deo summum bonum, scilicet vitam æternam, speramus, oriri videtur, vt in aliis minoribus rebus confidentes simus. Illi vindicationem, partem iustitiæ faciunt; nos prætermisimus; quia non solum quod bonum est, sed quod perfectum, oculis legitimum offerre contendimus, & licet aliquando bonum sit, de iniuria accepta, non ex effectu iustitiæ, sed ad proprium malum propulandum vindictam petere, melius tamen est, præcipue in spiritualibus viris sustinere, ignoscere omnino, & dissimulare. Præterea aliquam vnam virtutem in varias partes distinximus, & plures, secundum veram Theologiam naturæ distinctas, vt iustitiam distributiuam, commutatiuam, & legalem, in vnam contraximus. Id nullo modo studio contradicendi factum est, qui nec in minimis volumus à præstantissimis Theologis dissentire; sed quia hic non tam speculationem, quam opus querimus, & ad doctrinam sanctæ viuendi tradendam, quædam fuerunt pressius, quædam latius, quædam tantisper immutato ordine declaranda.

De Virtute Fidei.

CAPVT III.



FIDES, prima est Virtutum Theologicarum, non dignitate, sed infusione, quia intellectum afficit, cuius actus voluntatis actionem præcedit: & quia fundamentum est reliquarum virtutum ianuæque spiritualium bonorum, nam prius Deo credimus, quam ipsum amemus, & per legis obseruantiam eius iussis obsequamur. Huic merito quatuor dona seu effectus adiungimus, nempe meditationem, contemplationem, contemptum sæculi, & cordis puritatem: Nam qui credit, intelligentiam cupit creditorum, & hoc desiderium intelligentiæ ad inquisitionem mouet, in qua est meditatio. Inquisitiua veritatem inuenit, in eaque cum exultatione quiescit, & hæc est contemplatio. Veritas inuenta docet quam vilis sit mundus, & eius despicientiam generat, in qua est contemptus sæculi. Despicientia autem sæculi ad inhesionem vocat, qua inhaeremus Deo, & in hac consistit puritas cordis. De his ergo agendum est.

De Fide. §. I.

Fides, est virtus intellectus Theologica, qua assentimur mysteriis reuelatis propter autoritatem

reuelantis Dei. Quam definiuit Paulus dicens: Est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Ac si diceret: Fides est fundamentum & quasi basis eorum, quæ à Deo speramus, & certitudo ac conuictio intellectus, qua certissime his, quæ visa non sunt, adhaeremus.

Incitamenta ad fidem sunt. I. Ecclesia Catholica, sponsa Dei, in Christo, tanquam in fundamento, fundata, columna veritatis, quæ nec fallere potest, quia fidelis est, nec falli, quia à Deo docta & gubernata est. Hæc, cui Christus semper assisit: Nam & ego, inquit, vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi. Hæc à qua Spiritus sanctus nec ad momentum vnquam discedit; qui postquam venit, docuit eam omnem veritatem. Hæc, summa scientia illuminata, sacris libris locupletata, traditionibus Apostolicis, consiliis, & decretis Summorum Pontificum ditata, tanti ponderis est apud quemq; sapientem, vt infallibiliter teneat, à Deo dicta esse, qua ipsa, tanquam Dei dicta, proponit, à quibus omnem falsitatem abesse, certissime intelligit.

II. Multitudo earum ratiocinationum, quæ res fidei euidenter credibiles faciunt. Cuiusmodi sunt: Prædictiones Prophetarum; testimonium Martyrum; multitudo miraculorum; attestatio aduersariorum aut infidelium; puritas legis Euangelicæ; mirabilis eius cum ratione concordia; omnium mysteriorum huius legis summa consensus; mundi conuersio; ratio fidei propagandæ per Apostolos ignobiles, idiotas, inermes; vis fidei in efficiendis, & mutandis animis; sanctitas & sapientia eorum, qui fidem tradiderunt: vita illibata eorum, qui eam recipientes, se eius præscriptis accommodarunt; stabilitas Ecclesiæ inter persecutiones; clades eorum, qui eam oppugnarunt, & antiquitas sacrorum librorum. His admirata mens hominis dicit: Quoniam testimonia tua Domine credibilia facta sunt nimis: quibus licet non visis assentiri, summa sapientia est, & reluctari, damnablem imprudentiam.

III. Necessitas fidei, sine qua, vt inquit Paulus, impossibile est placere Deo. Et eius dignitas, quam habet à Christo, Filio Dei, tanto ante tempore prænuntiatio, & tam miris sapientiæ, sanctitatis, & potestatis donis insignito, qui res fidei docuit à rebus sublimissimis, quas tradidit mutatione animorum, quam efficit.

Actiones fidei sunt. I. Summittere mentem hominis cum magna simplicitate & humilitate, Deo per Ecclesiam, per scripturam, per traditiones, per concilia, & per Pontificum decreta, loquenti.

II. Assentiri articulis fidei tum ad diuinitatem, tum ad humanitatem pertinentibus, & cæteris reuelatis à Deo, propter autoritatem ipsius Dei.

III. Considerare Deum, in sacramentis & in cæremoniis Ecclesiæ, animas sanctificantem, & dona spiritualia inuisibiliter operantem.

IV. Confiteri res à Deo reuelatas, instante omnium miseriarum atque etiam mortis periculo, in conspectu regum, fidem oppugnantium, & non confundi.

V. Aperire res fidei per exhibitionem doctrinæ, vt alij rudiores eas teneant.

VI. Fugere hæreticos, vt pestes animarum, vt hostes æternæ salutis, vt filios diaboli.

VII. Auctari omnem doctrinam minus synceram, minus puram, minus sanctorum, & Ecclesiæ sensui conformem.

Postulatio Fidei. Domine Iesu Christe, fidei author & consummator, qui nos ad gremium sanctæ

Ecclesia, sponse tuæ, & matris nostræ, spretis multis millibus hominum infidelium euocasti, & ad pusillum gregem, cui, complacuit Patri, dare regnum cælestè, pertinere fecisti: auge in nobis fidem à te semel infusam, & sine vlla intermissione seruata, & vitam fidei aptam, scilicet sanctam & tui imitricem, concede, vt aliquando tandem fidei consummationem, nempe gloriæ claritatem, assequamur. Amen.

De Meditatione. §. II.

Meditatio, est rerum fidei attenda & humilis inuestigatio, vt eius præsidio ad bonum amplectendum & malum fugiendum moueamur. Adiungitur fidei iuxta illud Pauli: Fide intelligimus apertata secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Id est, fides mouet ad intelligendum, omnia transitoria condita esse per verbum Dei, & ex informibus, facta esse formata, & pulchritudine decorata.

Incitamenta ad meditationem sunt. I. Meditationis ingens necessitas. Nam sicut cibus stomacho ingestus, non tamen digestus, non reficit, nec roborat hominem, sed magis saluti officit: ita mysteria fidei credita, & quasi in intellectum transmissa, non tamen per meditationem digesta, parum vitæ mutationi proficiunt. Hinc multi fideles, & pauci, qui secundum leges fidei, suam vitam instituunt. Hinc inter bonos pauci spirituales, & inter spirituales rari perfecti, quia credita non euoluunt, & fide accepta, non ruminant, vt illa in suos mores vitamque transfundant.

II. Meditatio, comes est orationis fidelissima, cui feruorem petendi & fiduciam impetrandi subministrat. Et, vt inquit Bernardus: Ad summitatem scilicet, id est, ad fastigium perfectionis, duobus pedibus, meditatione & oratione conscendimus. Meditatio siquidem docet, quid desit; oratio ne desit, obtinet: illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminencia nobis pericula, oratione euadimus.

III. Meditatione carentibus exprobrat Dominus noster Iesus Christus, dicens: Adhuc vos sine intellectu estis? Illi namque absque intellectu sunt, qui res quidem fidei audiunt, sed quia eas non meditantur, nec considerant, nunquam ad suæ vitæ emendationem intelligunt.

Actiones meditationis sunt. I. Rem meditando, in certa puncta ac quasi membra distinctam, ex ore magistri spiritualis, vel ex libro ad id parato, vel ex ipsis sacris scripturis, accipere.

II. Paulo ante horam, ad meditandum destinata, hæc eadem materia consideranda capita in memoriam reuocare, & breuiteratione præuenire.

III. Vnumquodque eorum membrorum intentè & quietè, ex causis, & effectibus, vel ex aliquibus circumstantiis inuestigare & inquirere.

IV. Veritatem, disquisitione inuentam quemque ad seipsum, id est, ad animæ vtilitatem, applicare.

V. Ex ea veritate, iuxta qualitatem materiæ meditata, vel odium mali alicuius, vel amorem boni, vel piæ alium affectum elicere.

VI. Colloquiis cum Domino habitis, & ignitis suspiriis, ac ardentissimis desiderijs, ab eo mali illius discessum, seu boni aduentum, implorare, & abundantissimam gratiæ mensuram ad morum emendationem deposcere.

A Postulatio meditationis. Domine Iesu Christe, magister bone, qui animas ad te venientes sapientissimè erudis, & ex sapida cognitione, ad sanctitatis amorem & experimentum provehis; illumina oculos mentis meæ, & vires cordis mei in vnum collige, vt legis tuæ mysteria, dulciora super mel & fauum, ore intellectus gustem, & deuorem, ac ventre voluntatis excepta, in meam conuersationem morèque transformem. Reuela Domine Deus meus oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua; vt illa considerata me afficiant, & meditata me moueant, & ad tui amorem, & vitæ mutationem me alliciant.

De Contemplatione. §. III.

Contemplatio, est simplex intuitio veritatis, quæ ab amore inchoat, & ad Deum diligendum, & seculum despiciendum inclinatur. Adiungitur fidei, quoniam contemplatio Christiana est de rebus à fide traditis: secundum illud Pauli: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Fides etiam contemplatione, quæ actus est sapientiæ, roboratur, & ad despiciendum mundum erigitur. Quare de Moyse dicitur, quod fide grandis factus, prætulit thesauro Ægyptiorum, improprium Christi, quia aspiciebat in remunerationem.

Incitamenta contemplationis sunt. I. Pulchritudo Dei, & Christi, & rerum æternarum, quæ oculo contemplationis videmus. Si enim magnæ voluptatis est, videre solem, lunam, & stellas, & reliqua sensui subiecta, quæ oculis corporeis cernuntur; quanto delectabilius erit, Deum & cælestia contemplari?

II. Inducere nos debet, inquit Albertus, suauitas, quæ in contemplatione percipitur; admirabilis perfectio, quæ ibi addiscitur: principium omnis beatitudinis, quod ibi reperitur. Fons enim omnis beatitudinis, summus Deus, ibi cognoscitur, & quod verè cognoscitur, hoc amatur; & quod verè amatur, hoc desideratur, & pro eo obtinendo laboratur; & pro quo studiosè laboratur, hoc tandem acquiritur; cumque acquisitum fuerit, cum delectatione interminabili possidetur.

III. Exemplum Christi Saluatoris nostri, qui, vt notauit Gregorius, noctes in somnes dncebat, in eis que orationi Dei, id est, altissimæ cõttemplationis, operam dabat. Exemplum item Apostolorum, quorum conuersatio, teste Paulo, in cælis erat, nec sollicitudine omnium Ecclesiarum impediabantur: exemplum tandem omnium sanctorum, qui ita contemplationi addicti fuerunt, vt hanc suam hereditatem, ac præcipuam possessionem esse, ipso opere testarentur.

Actiones contemplationis sunt: I. Relictis omnibus exterioribus, intellectu & affectu, ac sepositis, cunctis discursibus & ratiocinationibus, in simplici Dei notione quiescere. Quam, quia actio quedam vniformis est, comparat Dionysius motui circulari, propter ipsius motus vniformitatem.

II. Ex cognitione rerum exteriorum aut sensibilem, ad notitiam intelligibilem, & præcipue ipsius Dei, peruenire, ibique sine discursu silere. Quæ quia procedit de vno in aliud, comparatur motui recto, quo corpus mouetur à loco deorsum in locum sursum, vel e contra.

III. Ex vna re cognita, vt ex toto, aut ex contrario, ad alterius cognitionem, vt ad notionem partit, vel alterius contrarij, ratiocinando peruenire,

Hebr. 11. 3.

Bern. ser. 1. de S. Andrea.

Psal. 118. 18.

2. Cor. 4. 18.

Albert. de vitæ. cap. 73.

Greg. 6. mor. c. 25.

Dion. ca. 4. de diu. nom. p. 1.

Ricard. lib. 1. de consp. c. 5.

1. Petri.

Psal. 144

Hebr. 11. 33.

Iacobi 4. 4.

ibique intellectu quiescere. Quæ comparatur motui obliquo. Et secundum diuersa, quæ cognoscuntur, ex aliis diuersi motus obliqui contemplationis assignantur, vt videre est in Ricardo, libro primo de contemplatione.

IV. Ex parte materiae contemplatae, multae actiones contemplationis assignantur. 1. versatur circa diuinam maiestatem eiusque attributa. 2. circa Christi Saluatoris vitam & mortem. 3. circa beneficia diuina. 4. circa nobilitatem patriæ celestis. 5. circa sanctorum & totius Ecclesiae virtutes & dona. 6. circa essentiam & proprietates rerum creaturarum. 7. circa nosmetipsos, & si quæ sunt alia, quæ ad hæc capita non referantur, de quibus suo loco plenius dicitur.

Postulatio contemplationis. Domine Iesu Christe, Deus & homo, qui qua Deus, ipsa pulchritudo es, & qua homo, in quem desiderant Angeli prospicere, & speciosus forma præ filiis hominum, perfice fidem, à te nobis infusam, dono sapientiæ tuæ, & quatenus nobis expedit, donum contemplationis attribue, vt dum te summum bonum nostrum & summum pulchrum esse cognoscimus, te ardentissime amemus, & nosmetipsos ac omnia visibilia contemnamus. Amen.

De Contemptu sæculi. §. IV.

Contemptus sæculi, est abrenuntiatio tum exterior, quæ fit opere, tum interior, quæ fit voluntate, omnium visibilium, propter amorem Dei. Adiungitur fidei, iuxta illud: Sancti per fidem deuerterunt regna. [Et rursus: Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.]

Incitamenta ad contemptum sæculi, sunt 1. Amor sæculi & amor Dei, termini contrarij sunt, quod significant illa verba Iacobi Apostoli. Amicitia huius mundi, inimica est Dei. [Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.] Quare sicut qui vult locum superum tenere, debet necessariò infernum locum relinquere; ita qui cupit ad Dei amorem ascendere, debet per contemptum sæculi ab eius amore separari. Non potest quis simul esse in luce, & in tenebris, nec simul frigore rigere, & calore magno ad omnem laborem solui. Non ergo poterimus amore sæculi, qui sicut frigus est, ab omnibus bonis operibus impediri, & amore Dei, qui calor est, ad virtutum actiones incitari.

II. Sæculum ignorantissimum est, quod bonos deicit, malos exaltat: bona fucata diligit, vera contemnit. Immundissimum est, quod omnia peccata continet, & pro bonis gestis defendit. Infidelissimum est, quod dilectoribus suis, & pro se laborantibus, curas & angores in hac vita, & in alia damnationem impertit: non igitur meretur diligi, sed animosè contemni.

III. Incitat exemplum Christi Iesu, qui paupertatem & vitæ asperitatem amavit, regnum temporale fugit, & in omni humilitate manere, fallaci rerum mundanarum gloriæ prætulit.

Actiones contemptus sæculi sunt: I. Diuitias spernere, & si à Deo speciali vocatione inuitemur, actione relinquere.

II. Dignitates, tum sæculares, tum Ecclesiasticas fugere: & si ad eas admittendas à superioribus compellamur, non ex ambitione, sed ex desiderio obediendi, & diuinam voluntatem implendi, suscipere.

III. Honoribus & pompis sæculi valedicere, & ab eistota contentione mentis abscondi.

IV. Voluptates & corporis ac sensuum delicias pro nihilo ducere, & tanquam res homine indignas auerfari.

V. Propinquos & amicos, si animæ profectum impediunt, promptè deserere.

VI. Mores sæculares, & quicquid vanitatem sapit, promptè deponere.

VII. Cuncta visibilia despiciere, & nec minis, nec terroribus, nec suasionibus, nec laudibus, nec præmiis ad nimium eorum amorem inclinari. Imitantes Paulum, cui omnia viluerunt. Dicebat enim: Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrificam.]

Postulatio contemptus sæculi. Domine Iesu Christe, qui es thesaurus in exhaustus & infinitus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, absconditi, qui me ad te cognoscendum, amandum, & diligendum creasti, miserere, obsecro, mei, & vincula amoris sæculi rumpe, & catenas concupiscentiarum, quibus illigor, tua immensa potestate dissolue, vt te bonum vnicum meum sitiam, & ob ementita bona, huncquam à te, omnium bonorum authore, discedam. Amen.

De Puritate cordis. §. V.

Puritas cordis, est cogitationum, affectionum, sermonum, operumque munditia. Adiungitur fidei, quoniam impuritas in hoc consistit, vt Thomas ait, quòd res aliqua vilioribus immiscetur. Per fidem autem anima cum Deo inhæreat, sicut per iustitiæ principium fit, vt à rebus terrenis separaretur, vnde & quòd pura ab earum contagione subsistat. Et ideo ait Petrus in Actis: Fide purificans corda eorum; & Paulus: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, &c.

Incitamenta ad puritatem cordis sunt. I. Munditia corporis & vestimentorum, homini eam curanti, est iucunda, & salutaris, & aliis cum eo conuersantibus existit gratissima, ergo multo magis munditia cordis. Hæc enim morsus & increpatioæ conscientiae tollit, quæ internam iucunditatem auferunt: peccata reicit, quæ animæ sanitatem tollunt, & Deum ac Angelos ad animæ puræ amorem inuitat.

II. Puritas cordis oculos aperit mentis, vt Deum contemplari possit. Nam beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et sicut sol nubibus non impeditus, hæc inferiora illuminat, & calore fouet: ita sol iustitiæ, Christus, animam per cordis puritatem ab affectibus mundam sapientia illustrat, & calore diuini amoris viuificat.

III. Mouet exemplum Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quique dicitur candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius.

Actiones puritatis cordis sunt: I. amorem rerum visibilium, vt honorum, diuitiarum, voluptatum, deponere.

II. Affectum nimium erga seipsum, & erga vitam hanc, & salutem temporalem, abicere.

III. Cogitationem à malis & vanis apprehensionibus emundare.

IV. Immunem se à peccatis, tum grauib, tum leuib, custodire.

V. Mente Deo & cælestibus inhære.

Postulatio puritatis cordis. Domine Iesu Christe, exemplar puritatis, & fons viuientis munditiæ, cuius sanguis emundat nos ab omni peccato: impuritatem nostram, qua terrenis cupiditatibus

immisce

immiscemur, & tibi displicemus, expelle, nosque cogitatione, affectu, & operatione purifica, vt tibi intellectui, affectui, & imitatione inhærentes, qui nostra munditia es, & terreni hominis imaginem deponentes, cælesti pulchritudine decoremur. Amen.

De Virtute Spei.

CAPVT IV.

Spes immediatè sequitur Fidem: nam ea, quæ fide credimus, nempe posse nos ad æternam beatitudinem peruenire, diuinumque auxilium nobis ad hoc paratum esse, per hanc virtutem speramus, & Dei beneficio finem nostrum nos aliquando assequituros esse confidimus. Spei autem adiungenda est fiducia & timor. Fiducia quidem, quoniam æquum est, nos à Deo minora expectare, qui speramus maiora & potiora. Timor verò, quia licet Deus paratissimus sit, hominibus beatitudinem dare, ipsi tamen, qui per peccata Deo deesse possunt, debent iustè timere, ne ob culpam suam non mereantur accipere.

De Spe. §. I.

Spes, est virtus Theologica, residens in voluntate, qua firmiter ex gratia Dei meritisque præcedentibus speramus beatitudinem æternam. Vnde Paulus ait: In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia.] Est autem de rebus creditis, siue non visis: spes enim quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Non tamen se extendit ad omnia credita, quia, vt inquit Augustinus, fide credimus bona, & mala, præterita, præsentia, & futura, spe verò solum speramus bona futura. Insuper fides rerum est nostrarum & alienarum, at spes solum nostrarum, vel ratione charitatis, qua iungimur aliis, ad nos quodam modo pertinentium.

Incitamenta ad spem sunt: I. Spei præsentissimè Dei auxilium, quo à malis liberemur, & in bonis protegamur, promissum est. Quoniam in me sperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.] Et: in te sperauerunt Patres nostri, sperauerunt & liberaisti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: In te sperauerunt, & non sunt confusi.] Et respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.] Et Bernardus: Quemcumque locum calcauerit pes vester, vester erit; pes vester, vti que spes vestra est, & quantumcumque illa processerit, obtinebit, si tam in Deum rota figatur, vt firma sit, & non titubet.

II. Spes est huius vitæ beatitudo, ex eo enim iusti, beati sunt, quoniam ius habent ad beatitudinem, & eam post hanc miseram vitam, obuenturam sperant. Ideo sanctus David: Beatus vir cuius est nomen Domini, spes eius.] Et Augustinus: Sicut spe salui, ita & spe beati facti sumus: & sicut salutem, ita & beatitudinem, non iam tenemus præsentem, sed speramus futuram.

III. Illa verba Domini spem excitant: Confidite, ego vici mundum.] Peruersum enim istud sæculum, quo nomine omne genus peccatorum comprehendimus, nostrum iter ad æternitatem retardat, ac adaptionem beatitudinis impedit. Si autem Christus illud vicit, & sub pedibus nostris ligatum pro-

stratumque supposuit, non est cur (hoste iam victo) de victoria desperemus, immò est, cur de immensa Domini pietate salutem nos adepturos confidamus.

Actiones spei sunt: I. Sperare animæ beatitudinem: nempe quòd statuto tempore, cum hanc vitam deseremus, purgatis imperfectionibus, nostris, videbimus Deum, sicuti est, oculis animæ, lumine gloriæ illuminatis, & diligemus eum amore perfectissimo & incessabili, & fruemur eo, delectatione purissima & interminabili, & in æternum possidebimus.

II. Expectare beatitudinem corporis, Nimirum quòd corpus hoc corruptibile, postquam ceciderit, resurget incorruptibile, & immortale, impassibilitate, claritate, agilitate, & subtilitate vestitum, & nunquam his donis, hæcque pulchritudine, & maiestate priuabitur.

III. Sperare mansionem perpetuam in illa ciuitate cælesti, non manu facta, quam habemus in cælis; Beatæ Virginis, omnium sanctorum, & Angelorum, qua fruemur, visionem, & cum illis beatissimis spiritibus iucundissimam societatem.

IV. Sperare à Domino media ad hanc felicitatem consequendam. Nempe. 1. remissionem peccatorum. 2. extinctionem vitiorum. 3. mortificationem passionum, 4. adaptionem virtutum, 5. victoriam temptationum. 6. intimam cum Deo familiaritatem. Hæc inquam in ea mensura speranda sunt, quatenus necessaria erunt ad gradum beatitudinis obtinendum, ad quem Deus nos prædestinauit.

V. Sperare adiutorium sanctorum & Angelorum, qui tum orationibus, tum gratiarum impetratione nos iuuabunt ad hoc, vt beatitudinem consequamur.

VI. Sperare vniuersa hæc, non ex propriis meritis, sed ex immensa bonitate Dei, & ex meritis Christi Iesu, quæ vt caput nostrum, nobis, membris suis, liberalissimè donauit.

VII. Ob hanc largissimam tantorum bonorum spem, falsa mundi bona contemnere, & inenarrabili lætitia perfundi.

VIII. Viriliter resistere malis, & confortari in bonis, & ardua quæque vitæ spiritualis aggredi propter amorem beatitudinis.

IX. Hæc omnia, quæ diximus, sperare, danda esse proximis à Deo prædestinatis, & nobis cum charitate coniunctis.

Postulatio Spei. Domine Iesu Christe [expectatio Israel, & Saluator eius in tempore tribulationis,] qui de cælo descendisti, vt nos in cælum eueheres, & mortem acerbissimam pertulisti, vt nobis peccato mortuis, nunc vitam gratiæ, & postea vitam gloriæ donares: obsecramus te per incomprehensam bonitatem tuam, vt spem bonorum æternorum, quæ dilectis tuis parasti, in nobis augeas, & nos, qui æterna speramus, temporalia aspernari concedas. Amen.

De Fiducia. §. II.

Fiducia est expectatio firma, quòd Dominus in omnibus necessitatibus, tum temporalibus, tum spiritualibus, nos iuuabit, & in tribulationibus non derelinquet. Qua seipsum roborabat sanctus David, cum dicebat: Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Si consistant aduersus me castra: non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.]

Dan. 14.
Gen. 27.
Dan. 3.
2. Petr. 2.
Tobia 3.
21.

Ioan. 14
Bern.

Isa. 40.
71.

Hebr. 10.
35.

Matt. 17.
20.

1. Ioan. 3.
21. 22.

Daniel.
13. 35.
Tobia 4.
12.
1. ad Tim.
7. 13

Actor.
7. 55.

Psal.

Incitamenta ad Fiduciam sunt: I. Animo expendere, quanta Deus benignissimus pro omnibus fecit, quos ex nihilo extractos conseruat, gubernat, sustentat, & bonis visibilibus & inuisibilibus ditat. Quam misericors & dulcis fuit in iustis suis à tribulatione liberandis. Vt cum Danielem de lacu leonum: Iosephum de cisterna & de carcere: Noë de diluio, & tres pueros Hebræos de camino ignis ardentis eripuit. Non mutauit Deus, o homo, ingenium suum, sed nouit nunc, sicut & antea, vt ait Petrus, pios eripere de tentationibus. Pro certo ergo habe, quod vita tua, si in probatione fuerit, coronabitur, & si in tribulatione fuerit, liberabitur. Vide imaginem Dei, id est, Christum Iesum in cruce pendentem, & ille (quo viso Patrem videmus) te ad confidentiam animabit. Quis enim non raperetur ad spem, ait Bernardus, & ad impetrandi fiduciam, si attenderet in cruce Christi corporis dispositionem? Vide caput inclinatum ad osculandum, brachia extenta ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, iarus apertum ad diligendum, totius corporis extensione mad se totum impendendum.

II. Fiducia maximè glorificamus Deum, quoniam vno confidenti actu cum benignissimum proniosorem nostrum, & omnium malorum depulso rem confitemur. Vnde actus iste mirum in modum nos roborat, & inuincibiles facit ad sustinendos pro virtute labores. Nam qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquile, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient. Est etiam fiducia magni meriti: & ideo Paulus ait: Nolite amittere confidentiam vestram, quam magnam habet remunerationem. Et ipsa tandem impetrat à Deo quicquid illi non est indignum dare, & nobis expediens accipere. Idque significant verba illa Domini: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quo loco de fide Christiana loquitur, quam tamen fiducia comitatur. Quia nimirum credimus, Deum omnia posse, & de sua bonitate confidimus, nobis auxilium esse præstandum.

III. Excitat fiduciam puritas cordis, quæ cum nos similes Deo faciat, & cor filiorum immitat, etiam fiduciam filiorum attribuit. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Et de innocente Susanna dicitur: Erat cor eius fiduciam habens in Domino. Bona etiam opera à cordis puritate manantia fiduciam præstant. Vnde Tobias: Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna omnibus facientibus eam. Et Paulus: Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.

Actiones fiducie sunt: I. Deum in omnibus laboribus, necessitatibus, & tribulationibus nobis assistantem & benignissimè iuuantem aduertere. Sicut Stephanus, qui cum lapidaretur à Iudæis, exclamauit: Ecce video caelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, vt scilicet illi suppetias afferret.

II. Dominum, dum indigemus, vt adiutorem rogare, & eius auxilium & sanctorum exposcere.

III. Pro certo habere, orationes nostras, si iustum & expediens postulent, à Domino misericorditer exaudiri.

IV. Si Dominus auxilium dare distulerit, non desperare, iuxta illud: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.]

V. In euentibus contrariis, qui videntur nostris bonis desiderijs obflare, nullo modo confidentiam deponere.

VI. Vitæ puritate nos paratos ad diuinas inspirationes, quibus fiducia creatur, exhibere.

Postulatio Fiducie. Domine Iesu Christe, qui factus es refugium nostrum, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione; miserere imbecillitatis cordis nostri, cuncta ex sua paupertate aestimantis, & sua minima capacitate merentis, ipsumque fiducia dilata, & spe incomprehensibilis tuæ misericordie roborata; vt ad te in omni necessitate, tanquam ad patrem, accurrat: in gremio tuo omnes molestias curasque reiciat, & non secundum vilitatem suam, sed secundum largitatem tuam & diuitias tuas, amplè remedia omnium miseriarum expectet. Amen.

De Timore. §. III.

Timor est fuga peccati, ne quis incurrat in temporalem aut eternam pœnam, ne perdat gloriam, & ne labatur in sui creatoris offensam. Ille dicitur timor Domini. Quoniam Deum, & vltorem, & peccatorum vindicem timemus, & in eius indignationem incidere formidamus. De quo Dauid ait: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Non inquam docebo vos scientiam secularem, quæ sine timore inflat, sed timorem Domini, qui sine scientia saluat.

Incitamenta ad timorem sunt: I. Opera iustitiæ Dei. Si enim Angelis peccantibus Deus non pepercit, (vt Petrus in sua Canonica ait,) sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium referuati. Si primos parentes ob esum pomi ex Paradyso deiecit, vt vniuersam eorum posteritatem ad vitam destinatum morte flammavit. Si tempore Noë omne genus humanum, & omnem animam viuentem aquis eluisionis immerfit. Si ciuitatis Sodomorum & Gomorrhæorum terribili igne consumpsit. Si innumerabiles peccatores, nunc vnum, nunc alium, vt ex historijs constat, subita morte suffulit, & ad eruditionem nostram acerbissimas pœnas, quas in inferno patiuntur, aliquibus patefecit. Quid expectant miseri peccatores, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, si Dei mandata præterierint?

II. Vtilitas ipsius sancti timoris. Est namque timor, initium sapientiæ, vt ait sanctus Dauid: Initium sapientiæ, timor Domini. Et Climacus ait: Vt solis radius, domum per foramen ingressus, cuncta quæ in ea sunt, illuminat; ita timor Domini, si fuerit in anima, cuncta ei peccata etiam minutissima ostendit. Est etiam exordium iustitiæ, & expulsor peccati: iuxta illud: Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Et Beda ait: Difficile iustitia sine timore custoditur, quo iustus Deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet. Et alio loco idem Ecclesiasticus ait: Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Est decor & pulchritudo omnium virtutum. Quam magnus, inquit idem Sapiens, qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum. Timor Dei super omnia se superponit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illam, cui assimilabitur? Est tandem timor, gemma sanctorum pretiosissima. Vnde Iob: Semper, quasi timentes super me fluctus, et timui Deum, & pon-

das eius

Psal. 9.

Psal. 33.

2. Petr. 1.

Psal. 10.

Eccles. 17.

Eccles. 13.

Iob 31.

25.

dus eius ferre non potui.] Et David sanctos adhortans ait : Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum.]

III. Incitat ad timorem passio Christi: Magnum quippe malum est peccatum, ac proinde maxime timendum, cui tam grauis & difficilis parata est medicina. Ad quod optime Laurentius Iustinianus ait: Ex qualitate remedij facile cognoscitur vehementia langoris. Conspui namque Christus voluit, vt nos lauaret, velari voluit, vt velamen culpæ & ignorantia à cordibus nostris auferret: in capite percuti, vt caput nostrum, scilicet Adam, sanitati restitueret: colaphis cædi, & verbis derideri, vt nos labijs & operibus ipsum laudaremus: demum occidi iubetur, vt vulneribus nostris pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur. Fusus est cruor medici, & factus est medicamentum frenetici. Agnoscamus igitur, quam graua sint nostra vulnera, pro quibus necesse fuit, Dominum Iesum vulnerari.

Actiões timoris sunt: I. Intellectum ad Dei veritatem & iustitiam considerandam, & ad grauitatem peccatorum cognoscendam, ac uere.

II. Vitæ anreæctæ, ad euadendam pœnam, & vitandam Dei offensam, pœnitere, ac pro ea debite satisfacere.

III. Omnia peccata non solum graua, verum & lenia & imperfectiones (pro posse) fugere: iuxta illud: Qui timet Deum nihil negligit: & membra, & sensus, & linguam ab omni actu illicito cohibere.

IV. Aduersus tentationes confortari: Nam timentem Dominum non occurrent mala;] & vt pœnam ac Dei offensam euadamus, insultus demonis, virtutum exercitatione & auxiliij postulatione, proterere.

V. Sollicitè diuina mandata, ne Domino displiceamus, custodire, & Dei placita, hominum voluntatibus anteponere.

VI. Deo, per intimam & verissimam reuerentiam, tanquam vniuersali Domino, se submittere.

VII. Nostrum nihilum contemplari, facilitatem cadendi & gratiam perendi cognoscere, & infra omnes homines, & in profundum vilitatis nos per propriam cognitionem deicere.

Postulatio timoris. Domine Iesu Christe, super quem requieuit spiritus Domini,] Patris tui, & cuius animam spiritus filialis timoris repleuit, quo etiam corda seruorum tuorum abundantissime repleas, & per timorem ad amoris vehementiam, & perfectionem intronitris: excita in cordibus nostris timorem castum, timorem sollicitum, timorem sanctum tuum, quo omnia tibi displicentia fugiamus, omnia tibi placentia aggrediamur, te diligentissime reuereamus, & à cura bene operandi, & nostram salutem promouendi, nunquam cessemus. Amen.

De virtute Charitatis.

CAPVT V.

CHARITAS, postrema virtutum Theologicarum, non tantum illarum, verum & omnium virtutum perfectissima est, ipsarumque forma, & finis, & mentis nostræ essentialis perfectio. Est forma earum; sic enim eam vocat Ambrosius, quoniam illis vitam, & motum in vitam æternam impertit. Est finis; quoniam omnes vir-

virtutum actiones in hoc tendunt, vt Deo charitate iungamur. Est perfectio nostra; quia, vt alio loco diximus, ipsa nos Deo, vltimo fini, copulat, membra Christi viuientia facit, & aliis Ecclesiæ membris, nempe proximis nostris, annectit. Hanc, si eius effectus, & virtutes annexas inspiciamus, in septem partes aptè distribuemus. Cuiusmodi sunt: Amor Dei, Amor proximi, Zelus, Gaudium, Pax, Misericordia, & Beneficentia; quorum naturas & actiones nunc pergitur explicare.

De Charitate erga Deum. §. I.

Charitas ad Deum est virtus, qua ipsum non ob timorem pœnæ, nec ob spem præmij, sed propter seipsum ob suamque bonitatem diligimus. In quo sensu intelligenda est descriptio Augustini: Charitas est virtus coniungens nos Deo, qua ipsum diligimus: diligimus, inquam, propter seipsum.] Nam vt ipse alio loco ait: ille certissime atque verissime inuictus homo est, qui coheret Deo, non vt ab eo aliquid boni extrahere mereatur, sed cui nihil aliud quam ipsum inhaerere Deo, bonum est.

Incitamenta ad charitatem Dei sunt: I. Ipse Deus. Nam fomes ignis dilectionis, bonum est, Deus autem est summum bonum & omne bonum. Quare dum Moysi polliceretur copiam sui, dixit ei: Ego ostendam tibi omne bonum.] Ipse est bonum memorie, quoniam eius summa tranquillitas; ipse est bonum intellectus, quoniam vniuersa veritas; ipse bonum voluntatis, quoniam omnis eius acietas. Si bonum tuum, o homo, reputas vitam, [in ipso viuimus, mouemur, & sumus.] Si bonum tuum salutem existimas, Dominus illuminatio tua & salus tua,] qui factus est tibi in salutem: ipse honor tuus, ipse diuitia, & nihil est dulce, nihil delectabile, nihil appetibile, quod non in eo abundè possideas. Amorem tuum in variis, diuersisque bonis partitum & dispersum habebas, iam ad vnum bonum, quod omne bonum est; totum amorem collige, & nihil nisi Deum, aut propter Deum, amare constitue.

II. Beneficia Dei; Hæc autem sunt innumerabilia. Quod enim vniuerso continetur, siue visibile, siue inuisibile, beneficium est tibi, o homo, à Domino prerogatum. Terra beneficium est, quod te reficiat, atque sustineat. Aqua beneficium est, quod te mundet, atque refrigeret. Aër beneficium tuum est, quod te inspiratione & aspiratione conseruet. Ignis beneficium est, quod te foueat, & illuminet. Angeli, cæli, sol, luna, & stellæ, beneficia sunt, quæ te custodiant, & salutem tam animarum corporum administrant. Sancti beneficia sunt, qui te vita, & in tercessionem doceant, & protegant. Iusti beneficia sunt, qui te exemplo & doctrina ad virtutem erudiant. Mali beneficia sunt, qui tuam patientiam ad cumulum meritorum exercent. Tu ipse beneficium es tibi incepti donatus, immo multiplex beneficium. Nam quod es, quod viuus, quod sentis, quod te moues, quod intelligis, quod diligis, quod operaris, ex Dei benignitate sine vilo merito recipis. Denique gratia & dona omnia, gratuita beneficia tua sunt, quibus te Dominus ciungit. Gloria beneficium est, quam tibi Dominus preparauit. Beata Virgo, beneficium tuum est, quam in matrem & protectricem tibi concessit Christus Dei Filius: beneficium tuum est, quem in Saluatorem, in magistrum, in patrem est elargitus. Et ipse Deus, beneficium tuum est, quem nunc in omnibus adiutorem habes, & postea in æternum possidebis. Si inter tot beneficia Dei amorem haberes, grandine eris durior, & niue fugi-

Aug. lib. 6. de mor. Eccl. c. 11. Idem lib. de vera relig. c. 43.

Exod. 33. 19.

Act. 17. 28.

Psal. 126.

Psal. 127.

Psal. 127.

dior,

Psal.

Iusti. in li. gno. vita. 1196. de Timore. c. 4.

Eccl. 7.

Eccl. 33. 1.

Isa. 11. 2.

Ambros. 2. in Luc.

dior, & ipsis lapidibus insensibilior.

Hugo. li. bel. de laud. charit.

III. Præstantia ipsius charitatis, quam Hugo de sancto Victore hac egregia oratione describit: Charitas omnem animi langorem sanat. Charitas vitiorum omnium radices extirpat. Charitas omnium virtutum origo est. Charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat; invidia non deuasat; ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflamat, luxuria non inquinat, semper munda est, semper casta est, semper quieta, semper lata, semper pacifica, semper benigna, semper modesta. In aduersis secunda, in prosperis temperata, mundum contemnens, Deum diligens, omnium bonam amando sua faciens, sua omnibus libenter impertiens, non timens inopiam, non magnopere expectans abundantiam.] Hæc omnia ille & optime.

Actiones charitatis erga Deum sunt: I. Affectu copulari, & coniungi Deo, tanquam summo bono, quocum aliquo modo idem sumus.

II. Velle Deo omnia bona sua, vt sapientiam, bonitatem, potentiam, pulchritudinem, & reliqua attributa, non ob aliam causam, nisi quia bona ipsius sunt.

III. Gaudere impensè de perfectionibus Dei, quod scilicet ipse eas omnes possideat, quod ab omnibus Angelis adoretur, quod ab vniuersis sanctis beatis honoretur, quod à iustis & toto mundo, sine vlla intermissione, seruiatur.

IV. Desiderare, quod omnis creatura illum adoret, illique seruiat: quod infideles ad fidem, & peccatores ad bonam frugem, solum ob eius gloriam, conuertantur.

V. Dolere de omnibus peccatis, tum propriis, tum alienis, non ob aliud, nisi quia sunt iniuriæ Dei.

VI. Proponere & apud se statuere, omnia fideliter mandata custodire, iuxta illud: Qui diligit me, mandata mea seruabit.]

VII. Proponere & statuere, ob gloriam Dei se consiliis Evangelicis imbuere, & diuinis instinctibus accommodare.

VIII. Lætari de omni eo, quod Deo placet, siue prosperum, siue aduersum sit, siue dulce, siue amarum.

IX. Tristari de omni eo, quod Deo displicet, & suis iussis contradicit.

X. Postulare instanter charitatem, & omnia ei aduersantia respuere.

Ioan. 14. 31.

Postulatio charitatis erga Deum: Domine Iesu Christe, qui es verus & summus amator Patris, qui que amorem tuum erga eum toti mundo perceptum esse voluisti, & perfectissima mandatorum suorum exhibitione demonstrasti: infere pectoribus nostris ardentissimum tui amoris affectum, quo cumulari tibi semper placere, te in omnibus querere, & te suspirare discamus. Eia Domine diligamus te toto corde, tota anima, ac tota mente nostra, & in his tuæ charitatis actionibus nos iugiter exerceamus. Incipiamus hæc te, & Patrem, ac Spiritum sanctum diligere, quem vnum Deum in æternum diligemus, quo iuxta mensuram amoris in æternum perfruemur, & quo possessio nostram felicitatem comparabimus. Amen.

De Charitate erga Proximum. §. I. I.

Charitas erga proximum, est virtus, qua omnes proximos, tum amicos, tum inimicos, diligimus

A propter Deum. Diligere autem eos propter Deum, nihil aliud est, quam amare illos, quatenus participant in se aliquid Dei, & amare illos, vt in Deo sunt, & vt bona gratiæ & gloriæ adipiscantur: & tandem amare illos, quia Deus vult, & præcipit, vt eos amore prosequamur. Hac charitate erga proximum, charitas erga Deum completur, atque perficitur. Vnde Ioannes ait: "Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est." Immo & charitas Dei sine charitate erga proximum ficta & vana est, dicente eodem Apostolo: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.]

Incitamenta ad charitatem erga proximum sunt: I. Proximorum conditio, quia nimirum omnes homines fratres sumus. Fratres quidem natura, quia ab eisdem parentibus, Adam & Eua, generati; fratres & vocatione, quoniam ad adoptionem filiorum Dei, & Ecclesiæ vocati; omnes ad fidem, & ad gratiam inuitamur; diciturque nobis: Et patrem nolite vocare super terram; vnus est enim Pater vester, qui in caelis est. Omnes sumus vnus corporis membra; vt Paulus ait: Multi vnum corpus sumus in Christo. Et sicut anima non viuificat membra nisi sibi inuicem copulata; ita Spiritus sanctus non viuificat homines odiis separatos, sed per charitatem vnitos.

II. Præcepti dilectionis necessitas, vtilitas, leuitas, atque suauitas. Est enim impletio huius præcepti maxime necessaria, qua omnia alia præcepta continentur, iuxta illud: Plenitudo legis est dilectio; adeo vt qui hoc præceptum transgreditur, alia quoque vel illorum aliquid transgredi conuincatur. Est admodum vtilis, quoniam proximorum dilectione bona eorum nostra facimus, & ad id quod per nos non valemus attingere, ope charorum adiuuamur. Est admodum leuis & facilis, quæ, vt inquit Laurentius Iustinianus, ab omnibus potest impleri, à paupere, & à diuite, ab infirmo, & à sano. Non est necesse oues aut boues emere, aut vltra mare nauigare, vt hoc impleatur præceptum. De quo in Deuteronomio dicitur: Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed iuxta te est in ore tuo, & corde tuo vt facias illud. Est denique suauissima huius mandati custodia; nam id præcipit, ad quod ipsa natura inclinamus, id præcipit, quod nobis ab aliis præstari indigemus, id præcipit, quo maxime ad inuicem consolamur. Quare in Ecclesiastico legimus: In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus; concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.]

III. Efficacissimum aliorum exemplum; Deus quippe omnes homines ac se diligit, quos immensis beneficiis fouet, & sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Christus diligit, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Angeli diligunt, quorum singuli singulos homines singulari beneuolentia custodiunt. Iusti diligunt, qui si secundum præscriptum legis Dei viuunt, pro fratribus animas fundunt. Mirum erit, si fratrem ab omnibus dilectum, tu solus non diligas, & ab eius conuictu abhorreas.

D Actiones charitatis erga proximum sunt: I. Affici erga omnes homines, vt sunt capaces beatitudinis in Deo & propter Deum.

II. Velle illis omnia vera bona, nempe iustificationis donum, gratiam, virtutes, & omnem profectum, & gloriam.

III. Velle proximis eatenus bona corporis, salutem, prosperitatem, diuitias, & honorem, quatenus illis ad verum bonum, scilicet ad assequendam

dam beatitudinem conferunt.

IV. Lætare de profectu spirituali proximorum, de felicitate temporalis, & de his, quæ feliciter illis eueniunt.

V. Dolere de malis eorum, tum spiritualibus, tum temporalibus.

VI. Cupere, si datum nobis esset, malis eorum conueniens remedium asserre.

VII. Neminem temere iudicare, nec contemnere, immo cuiusuis proximi acta in meliorem partem interpretari, & cum iuxta personæ qualitatem magni ducere.

VIII. Neminem obloqui, sed proximum laudare, eius defectus benignè excusare, aut modeste dissimulare, & ab eorum oculis, qui remedium asserre non possunt, abscondere.

IX. Omnes proximis (prout possibile fuerit) iuuare verbo, opere, & exemplo.

X. Inimicos diligere, benefacere his, qui oderrunt nos, orare pro persecutibus & calumniantibus nos, & paratos esse, vitam pro eorum salute profunderere.

Postulatio charitatis erga proximum: Domine Iesu Christe, amator hominum ardentissime, qui te in exemplum fraternæ charitatis nobis dedisti, dicens: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sic vt ego dilexi vos. Inlere pectoribus nostris sanctissimum tuæ dilectionis affectum, vt ex amore erga te, amor erga fratres nostros se dilaret, & quos tu diligis, ipse non respiciat. Diligamus nos inuicem, Deus meus, & mutuo onera nostra portemus, vt legem tuam sanctissimam impleamus. Amor iste, præcordia nostra possideat, & manus nostræ in opera se dilectionis extendant: quo & tuam erga nos dilectionem imitemur, & discipuli tui mutua dilectione ab omnibus, qui nos viderint, agnoscamur. Amen.

De zelo honoris Dei & salutis animarum. §. III.

Zelus, est intensus iusti veri amatoris affectus, quo diligentissime querit honorem Dei, proximorumque salutem, & quicquid his duobus opponitur, fortiter constantisque repellit. Hac præstantissima virtute eserbuit Elias, cum ob honorem Dei prophetas Baal in publicum certamen vocauit, sacrificium (quod ipsi non potuerunt) igne de cælo cadente succendit, & eos veluti Domini hostes interfecit. Quare dixit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quæruunt animam meam, vt auferant eam.]

Incitantia ad iustum zelum sunt: I. Ministri Dei sumus, nobis munus disseminandi Euangelij demandatum est, nobis diuitiæ Domini, scilicet gratiæ, & dona, in sacramentis recondita, commissa sunt; nobis fratrum animæ commendatæ sunt. Nemo est, qui onus istud quadamtenus non subeat, dicente Ecclesiastico: Et mandauit illis vnicique de proximo suo. Si ergo ministri principum huius sæculi, tanta sollicitudine occupantur in manibus reipublicæ quæ sibi obtigerunt, obeundis, & in thesauris regum amplificandis; quo zelo nobis incumbendum est in gloriam Dei quærendam, & animas à dæmone liberandas?

II. Nihil est Deo salute animarum gratius, nihil est suo honore & gloria sublimius, illam ipse Dominus impensè curat, [qui vult omnes homines saluos

fieri, & ad agnitionem veritatis venire,] & ait: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Hanc sibi ipsi reseruat, nulliq; se daturus esse profiteatur, dicens: Gloriam meam alteri non dabo. Hæc autem tam magna, tam sublimia, tam Deo grata, non sunt perfunctione quærenda, sed cum eximia sollicitudine procuranda.

III. Mouet præcipuè exemplum Domini nostri Iesu Christi, de quo scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me,] quique tanto seruire honorem Patris situit, & conuersionem peccatorum ac salutem omnium animarum curauit, vt pro his duobus non dubitauerit, singula membra ad singularem pœnam offerre, & vitam infiniti valoris ad mortem peccati destruendam exponere. Eum sequuti sunt Apostoli, & Apostolici viri, quorum quisque cum Paulo potuit dicere: Ego autem libentissime impendam, & superimpendam ipse pro animabus vestris. Et rursus: Quotidie morior, id est, pericula mortis sustineo, propter vestram gloriam, fratres. Nec decet, ea quæ sancti tanto ardore quæsierunt, nos tepidè, & quasi nihil agentes, procurare.

Actiões Zeli sunt: I. Meditatione eorum, quæ profunt, confessionum auditione, prædicatione, doctrina, & consiliis pro salute animarum laborare.

II. Desideria, orationes, lacrymas, ieiunia, vigilia, & alia bona opera pro animabus offerre.

III. Tantum industria in promouendo honore Dei collocare, & in salute animarum, quantum susceperunt vires nostræ, diuina gratia roboratæ, & talentis à Deo donatis adiuta.

IV. Pauperes diuitibus, ignobiles nobilibus, idiotas sapientibus, si maius Dei obsequium speratur, in nostris ministerijs præponere.

V. Ea, quæ solum laborem habent, muneribus, Prælationibus, & officiis honorificis, si magis Deo grata, & proximis utilia sunt, libenter præferre.

VI. Rationis reddendæ pro hac re frequenter meminisse, & omnem negligentiam ac pœnam, ad eam castigandam destinatam, si seigniores fuerimus, vehementer timere.

VII. Omnia commoda, & salutem, & propriam vitam temporalem in præparatione animi, immo & ipso opere, si ita necessarium fuerit, pro gloria Dei & bono animarum effundere.

VIII. Propriam salutem & animi profectum, impensius quàm alterius curare, & illud (ex quo profectus aliorum pendet) cuique ministerio præponere.

IX. Exemplo sanctæ conuersationis omnes iuuare, & plus opere in eo, quàm in verbis, & laboribus externis, infumere.

X. Pro hoc exemplo, & ædificatione fratrum aliqua commoda, etiam corpusculo necessaria, quæ sine magno salutis dispendio omitti possunt, relinquere.

XI. Alacriter pro Dei gloria, & animabus lucrandis laborare, & ex hac alacritate feruèdè & perseueranter ad labores ferendos proficere.

XII. Si laboribus nostris speratus fructus non respondeat, dolere, & mœrere, & non sine luctu filios, id est, fructum laborum nostrorum, à Domino postulare.

Postulatio zeli: Domine Iesu Christe, zelator animarum nostrarum ardentissime, qui ad ostendendum zelum tuum, quo vehementissime nostram salutem sitiebas, dixisti: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vique dum perficiatur? Ex-

Ex. reb. 18. 23.

Psal. 68. 10.

1. Cor. 12. 15. 1. Cor. 15. 31.

1. Tim. 15. 12.

3. Reg. 19. 14.

Eccli. 7. 12.

1. ad Tim. 2. 4.

Luc. 12. 50.

cita

cita in nobis zelum amoris tui, salutisque fratrum nostrorum, quo succensi, pro his nulli labori parcamus, diligenter & fructuose nos occupemus, & si oportuerit, vitam nostram pro te, qui pro nobis mortuus es, vicem rependentes, profundamus. Amen.

De Gaudio. §. IV.

GAudium, est affectus voluntatis, quo letamur & exultamus de presentia Dei in nobis per gratiam, & de infinitis perfectionibus, quae in Deo sunt, & de bonis, quae ad gloriam Dei nobis & proximis nostris collata noscuntur. Ad quem affectum nos hortatur Paulus, cum ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.] Duplex gaudium nobis imperatur: Alterum de bonis Dei, alterum de bonis nobis à Deo praerogatis; & utrunque in Domino habendum est, quia non debemus in nobis, sed in Domino gloriari.

Incitamenta ad gaudium spirituale sunt: I. Consideratio bonorum praeteritorum, praesentium & futurorum. Praeteritorum quidem, nimirum, quod à Domino dilecti sumus, quod ex nihilo creati, quod ad vitam aeternam conditi. Praesentium vero, quia à Deo gubernamur, à malis protegimur, ad bona iuamur, & (ut confidimus) diuinam gratiam, nos iustificantem, & Deo similes facientem, habemus. Futurorum tandem, quod per Dei misericordiam, & merita Iesu Christi, Filij eius ex hac misera lacrymarum valle feliciter emigrabimus, & in anima & in corpore gloria vestimur: Gaudete, inquit Dominus, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est.] Et rursus: Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in libro vitae.] Haec tam magna & incomprehensibilia bona sunt, ut debeant in cordibus nostris ingentem laetitiam excitare, & omnem de rebus humanis immoderatam tristitiam consopire.

II. Conatus in acquirendis quinque donis, à Bonauentura numeratis, ex quibus verum gaudium exoritur. 1. Spiritualis mentis puritas. Nam generosus animus exultanter quiescit in lectulo conscientiae mundo: de quo gloriatur in Canticis, dicens: Lectulus noster floridus.] 2. Spiritualis animae sanitas vitia repellens. Dulcedo enim animae, sanitas ossium,] id est, virtutum eius, dum à vitis purgantur. 3. Spiritualis libertas, quae nos per feruorem ad bonum expedit. Nam & sic feruor à Spiritu sancto est, quia [ubi Spiritus Domini, ibi libertas,] qui est spiritus gaudij & consolationis. 4. Spiritualis tranquillitas ex eo quod quis nihil huius mundi appetit, & cum Paulo mundum sibi ciucifigit. 5. Spiritualis conformitas cum diuina voluntate, qua quis [iacet cogitatum suum in Domino, ut ipse eum enutriat.]

III. Spes fatietatis nostrae, iuxta illud, Spe gaudentes.] Triplex enim est pars animae nostrae, rationalis, concupiscibilis, & irascibilis. Satiabit enim nostrum rationale Dominus, ut inquit Bernardus, luce sapientiae, cum aperientur oculi nostri, non ad poenam, sed ad praemium, & [videbimus eum sicuti est.] Satiabit concupiscibile nostrum fonte iustitiae: nam scriptum est: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.] Satiabit irascibile nostrum tranquillitate, & laetitia, cum scilicet [replebimur Domine in bonis domus tuae, quia sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.]

Actiones gaudij sunt: I. Letari de assistentia Dei, qua est in omnibus rebus per essentiam, praesentiam, & potentiam; sed praecipue de assistentia

A eius in Ecclesia Catholica, cui praesidet tanquam rex reipublicae suae, nec eam aut errare, aut pressuris subruere permittit.

II. Letari de vnione mirabili Verbi Dei ad naturam humanam, qua Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & de sessione carnis nostrae ad dexteram Dei Patris, ubi ab omni creatura colitur, & ab Angelis adoratur.

III. Letari de reali ac vera praesentia Christi in Ecclesia per Eucharistiae sacramentum, secundum promissionem suam, qua dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.]

IV. Gaudere de inspiratione Spiritus sancti, qua mouetur ad existimandum, quod peccata nostra per usum rectum sacramentorum remissa sunt nobis.

V. Gaudere de praesentia Dei in nobis, & de eo quod per gratiam, quae nos facit Deo gratos, sumus filij Dei & haeres regni.

VI. Gaudere de promissa nobis beatitudine, & de spe, quod aliquando eam sumus adepturi.

VII. Exultare de omnibus bonis & perfectionibus Dei, tanquam de bonis dilectissimi Patris nostri, qui nos fecit, & immensa dilectione in filios adoptauit.

VIII. Exultare de bonis proximorum, tanquam de bonis fratrum nostrorum, quos diligimus sicut nos ipsos.

IX. Ad causam veri gaudij conari, scilicet ad conscientiae puritatem in omnibus cogitationibus, desideriis, verbis, & factis, ad Christi imitationem, & ad perfectam cum diuinis moribus conformitatem.

Postulatio gaudij: Domine Iesu Christe, laetitia mentium, exultatio cordium, gaudium vniuersae terrae, qui seruos tuos gaudere vis, & saepe in mediis tribulationibus laetitia perfundis, & ad ineffabile gaudium intitas, aperi nobis hanc abundantissimam fetetem gaudiorum, & quanta sit in nobis ex te & ex donis tuis causa laetitiae, oculis nostris ostende, ut ita mala & peccata nostra lugeamus, quod à vero gaudio de miserationibus tuis nullo tempore separemur. Tranquilla, amantissime Deus noster, conscientiam nostram vitae puritate, conuersationis feruore, & reliquis muneribus tuis, ut apta sit gaudium verum de te concipere, & in te iugiter delectari. Amen.

De Pace. §. V.

PAx est voluntatis affectus, quo subiicimur Deo, & in eo quod bonum est, consentimus hominibus, & voluntates ac appetitiones nostras in vno virtutis desiderio coniungimus. Pace ergo subiicimur Deo, de qua Paulus: Iustificati per fidem, pacem habemus ad Deum.] Et e concordamus hominibus: quare idem Paulus ait: Cum omnibus hominibus pacem habentes.] Ac tandem consentimus nobis metipsis. Ideoque dixit Dionysius, Pacem esse omnium vnitiam & consensus operatiuam. Hic affectus cum nos ipsos pacat, vocatur pax. Vnde Augustinus ait, quod pax est tranquillitas ordinis: cum vero aliis nos consensione iungit, vocatur concordia; quod ut explicet, idem ait, pax hominum est ordinata concordia.

Incitamenta ad pacem sunt: I. Pacis nobilitas, & suauitas, quam optime describit Laurentius Iustinianus in hunc modum: Magnium pacis est bonum. Est namque pax securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Haec simulationes tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. hanc qui accipit, teneat,

E

Matth. vi. 20.

Rom. 5. 1. Rem. 12. 18. Dionys. c. 1. de diuinis nominibus. Aug. 19. de ciuit. Dei. c. 13.

Laus. l. 1. st. 1. in libro vita titulo de patientia. c. 1.

Philipp. 4. 4.

Matth. 5. 12. Lucae 10. 120.

Bona. in dicta salut. Hom. 8. c. 1.

Cant. 1. 16. Prov. 16. 24.

2. Cor. 3. 18.

Psal. 54. 23.

Rom. 12. 12. Bern. ser. 4. omn. sanctorum.

1. Ioan. 3. 2. Matth. 5. 6. Psal. 64. 3.

qui

qui perdidit, exquirat, quoniam qui in ea non erit, à Deo alienus efficitur. Nec ad hæreditatem Domini poterit pervenire, qui bonum pacis non studuerit possidere.

II. Sicut sacrificium acceptissimum Domino est, spiritus contribulatus, ita & spiritus pacatus. Illud non despicit, in isto verò eius spiritus abundè requiescit: illud libenter recipit, istud exultanter admittit. Quia spiritus contribulatus meretur veniam, pacatus autem impetrat gloriæ coronam. Vnde Cyprianus ait: Sacrificium Deo maius est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti plebs adunata. Neque enim in sacrificiis, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iustus, dum Deo sacrificat, innocenter docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venite cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordia pace. Merito ille, dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria dominicam passionem, qui & iustitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur, tales in die iudicij cum Domino vindicabuntur.

III. Si nihil maius, nihilque vtilius homini esse potest, quam Deum habitatorem habere, & eius misericordia ab omnibus malis defendi, hæc duo hominibus pacificis promissa sunt. Nam & in pace factus est locus eius. Et Paulus ait: Pacem habere, & Deus pacis erit vobiscum. Et verè ille Deum à se repellit, qui consulto à suis fratribus dissidet, & minime cum divina voluntate consentit.

Adiones pacis sunt: I. Diuinis præceptis se subicere; iussa & inspirationes Dei sequi, & proprium arbitrium secundum beneplacitum diuinum inflectere.

II. In prosperis & in aduersis, Dei voluntati consentire, & nec sensu nec voluntate ab eius voluntate discedere.

III. Peccata, quæ sunt seminaria discordiæ inter Deum & hominem, fugere, & pro posse sanctissimis Christi moribus assimilari.

IV. Idem cum omnibus sapere, idem dicere, id est, in his, quæ decet, & bona sunt, eundem sensum, [quoad eius fieri poterit] idem iudicium habere, & de rebus non aliter quam prudentes loqui.

V. Fratribus, quibuscumque viuimus, conformari in cibo, potu, & somno, in vestibus, moribus, & operibus, quæ nec legi Dei, nec atreptæ professioni repugnant.

VI. Ita sanctè & circumspectè viuere, ut nullus de nobis querelam habeat, nullus iustam ex nostris dictis aut factis, causam perturbationis accipiat.

VII. Carnem legi Dei repugnantem, & bella cipientem, spiritui subicere.

VIII. Sensus, vsus membrorum, & interiora, atque exteriora opera ex vsu rationis disponere.

IX. Cogitationes, affectiones, voluntates, & intentiones secundum præscriptum virtutis moderari.

X. Nosmet ipsos discutere, & considerare, & aliorum dicta aut facta, quæ ad nos non pertinent, tanquam inutilia & noxia, relinquere.

XI. Radices omnis perturbationis, scilicet propriam voluntatem, spiritum libertatis, & placendi desiderium, euellere.

XII. Zizania, quæ sine damno tritici eradicari non possunt, patienter vsque ad tempus messionis tolerare.

XIII. Bona, nullo præcepto, nullave lege debita, pro vitando fratrum scandalo, vsque ad tempus intermittere.

XIV. Animi nostri tranquillitatem, ex aliorum dictis aut factis nequaquam pendentem habere.

Postulatio Pacis: Domine Iesu Christe, dulcis & vera pax nostra, qui fecisti vtraque vnum, & pacem euangelizasti his, qui longè, & iis, qui propè sunt, rebellia & inquieta corda nostra dono charitatis pacifica, ut dum omnes secundum te, ex te, & propter te diligimus, cum omnibus pacem habeamus. Da nobis, ô Rex pacifice, pacem cum Patre tuo, ac Deo nostro, per veram ad suam voluntatem subiectionem: Da pacem cum bonis per sanctæ conuersationis conformitatem: Da pacem cum malis per iniuriarum & afflictionum tolerantiam: Da pacem cum nobismet ipsis per voluntatum & appetituum concordiam in bono, ut ex ista pace, tibi gratissima, ad æternam pacem transeamus. Amen.

De Misericordia. §. VI.

Misericordia est virtus, qua dolemus & tristamur de miseria proximi, quam, si commodè possumus, à fratre depellimus, & ei per auxilium spirituale aut temporale subuenimus. Breuius definiuit Augustinus: Est, inquit, alienæ miseriæ in nostro corde compassio: qua vtiq; si possumus, subuenire compellimur. Et Basilius: Misericordia enim affectio est erga eos, qui immerito & indignis modis affliguntur, ab illis procedens, qui compassione afficiuntur. In hac virtute emittit sanctus Iob, qui de se ait: Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.]

Incentamenta ad misericordiam sunt: I. Misericordia in alios maxime nos Dei filios ostendimus, & eius perfectionem imitamur, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quare dictum est nobis à Domino: Estote misericordes sicut & pater vester cælestis misericors est. Quod ergo primi parentes ad suam & suorum filiorum damnationem voluerant, nempe insipienter dii fieri, id nos ad salutem nostram misericordia consequimur, quia dii, largiendo, & subueniendo miseris aliorum, per imitationem efficiuntur.

II. Misericordia nostris necessitatibus subuenimus, & dum aliis non nihil tribuimus, nobismet ipsis abundanter elargimur. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. O felicem commutationem! Tu miseriam alterius repellis per misericordiam humanam, qua, quia parua est, fortasse non ex toto indigenti subuenis, & promereri misericordiam diuinam, qua, quoniam infinita est, nulla re poteris egere. Cuius rei assertor est Salomon dicens: Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Ostendens inquit Cyprianus misericordes atque operantes egere non posse, magis parcos & steriles ad inopiam postmodum deuenire. Bene itaque dicitur, quod saneratur domino, qui miseretur pauperi, quoniam quod largitus fuerit, cum lucro recipiet.

III. Non solum per misericordiam aliis impensam tibi ipsi in hac vita consulis, sed etiam in æterna vita æternam felicitatem conquiris. Nam opera misericordiæ sunt leges, quarum obseruatione felicitas iustis danda respondet: dicente Domino: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes erâ, & collegistis me nudus, & cooperuistis me infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.]

Cypri. de crast. Do-
minica.

Psal. 75.
3.
2. Cor. 13.
11.

Ephes. 2.
14.

Aug. 29.
de Cinit.
Dei. c. 5.
Basili. in
Psal. 114.
Iob. 31.
18.

Matth. 5.
7.

Prou. 28.
27.
Cypri. de
opere, &
elemosy.

Matth. 25.
34-35 36.



Iacob. 2.
13.

Qui autem misericordiam non habuerit, nec misericordiam assequetur: quia iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam.]

Actiones misericordiae sunt: I. Ignorantes docere, Hæreticos à delictis suis, Ethnicos à cæcitatibus suis eripere; & rudēs ac idiotas in rebus fidei ac morum erudire.

II. Peccantes opportunè, amanter, efficaciter, verbo per se, & per alios prout prudentia dictauerit, & magis exemplo corrigere.

III. Dubio aliquo hærentes, & quid factò opus sit in rebus & negotiis occurrentibus, nescientes, consilio iuare.

IV. Mæstos, & afflictos, & tentationibus aut aduersitatibus pressos consolari.

V. Iniurias patienter ferre, imò magis de malo ac peccato iniuriantis, quàm de propria iniuria dolere.

VI. Offensas promptè remittere, & nec per nos, nec per alios, nec verbo, nec opere, nec desiderio vindictam assumere.

VII. Pro persequentibus nos, pro amicis, & inimicis, pro viuīs, & præcipuè pro defunctis orare: & animabus in Purgatorio existentibus, non tantum orationibus, sed ieiuniis, corporis asperitatibus, & eleemosynis subuenire.

VIII. Esurientibus cibum conuenientè tribuere.

IX. Sicientibus potum potigere.

X. Hospites, aduenas, & peregrinos liberali hospitio recipere.

XI. Pauperum nuditatem vestibus operire.

XII. Infirmos & carcere detentos visitare.

XIII. Captivos de manu Turcarum aut aliorum hostium, dato pretio, redimere.

XIV. Defunctis iusta facere, & Ecclesiastico officio sepulturae eorum assistere, & dum opus fuerit, eorum corpora terræ religiose mandare.

XV. Hæc omnia aut aliqua eorum, si opere non valuerimus præstare, ac desiderio & mentis affectu perficere.

Postulatio misericordiae: Domine Iesu Christe, omnium misericordiarum pater, qui generis humani miserias per crucem, & passionem tuam à nobis mirabiliter elongasti, & dicens: Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, misericordiae opera sacrificiis prætulisti; fac nos miserorum misereri, & per misericordiae opera eorum miseris & necessitatibus subuenire, vt in miseris nostris, quæ multa sunt, te misericordem benignumque patrem, & earum amabilem depulsores inueniamus. Amen.

De Beneficentia. §. VII.

Act. 10.
30.

Beneficentia est bonus affectus voluntatis, operi coniunctus, quo propter Deum in omnes, quos possumus, beneficia conferimus. Hanc charitatis actionem præstitit semper Saluator noster; de quo scribitur: Quòd pertransiit beneficiendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Hæc etiam alio nomine vocatur benignitas, quæ breuiter definitur, Bonorum feracitas.

Iacob. 2.
15.

Incentamenta ad Beneficentiam sunt: I. Quòd fraterna charitas, absque operibus beneficentiae latis nulla aut exigua est, si ea præstare nõ valeamus: Remq; per se vtilissimam, nempe charitatem in fratres, nostra culpa inutilem facimus. Inxtra illud Iacobi: Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem, aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?]

II. Beneficentiae opera sunt hostiae Deo acceptissimae, quas sibi in lege gratiae mactari præcepit, illisque non aliam mercedem quàm ipsum Deum omnium bonorum fontem, acquirimus. Vnde Paulus: Beneficentiae & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.]

Hebr. 13.
16.

III. Omnia creata, tum visibilia, tum inuisibilia, nos ad beneficentiam inuitant. Nihil enim est in rerum natura ex quo aliquod beneficium non accipiamus. Quaedam quippe in nos conferunt beneficia refectionis, quaedam voluptatis, quaedam eruditionis, quaedam correctionis. Valde autem reprehensibile est, quemquam inter tot res beneficas non esse beneficium, & tot tantaque recipientem nihil dare, neque se proximis suis vtilem & benignum præbere. Operemur ergo bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Actiones beneficentiae sunt: I. Beneficia temporalia & spiritualia doctrinae, consilij, & exempli, pro facultate omnibus domesticis, & externis, cognitis & incognitis elargiri.

II. Hæc eadem cum à nobis petuntur, statim sine ulla mora libenter atque hilariter dare.

III. Cum nihil à nobis postuletur, si proximo vitia erunt obsequia nostra, vel ad ostensionem amoris necessaria, ea gratanter ingerere.

IV. Ignorantes, & nihil de nobis cogitantes, cum Deo gratum fore putatur, operibus pietatis afficere.

V. In gratiam & vilitatem temporalem aliorum, aliquam in commoditatem sustinere, & pro salute eorum spirituali etiam vitam temporalem periculo exponere.

VI. Pro beneficiis exhibitis ab homine nihil laudis, nihil gratitudinis, nihil compensationis expectare, sed pramium bonorum operum Dei approbationem habere.

VII. Ita tandem dare, quomodo vellemus accipere.

Postulatio beneficentiae: Domine Iesu Christe, sol iustitiae pulcherrime, qui omnes illuminas, omnes foves, omnes (quoad ad te attinet) tuo aspectu viuificas, de cuius tempore prædictum est: Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum: [Da nobis inter alia innumera, quæ à tua benignitate recipimus, benignitatis affectum, & profusum in proximis beneficiorum effectum, vt dam nostra cura eis benefica voluntate partimur, & tibi similes simus, & maiora dona de tua largitate recipiamus. Amen.]

Isa. 35. 5

De Virtute Prudentiae.

CAPVT VI.



SCIT fides inter virtutes Theologicas, ita & Prudentia inter virtutes morales primum locum obtinet. Afficit enim intellectum, cuius actio (vt diximus) voluntatem præcedit, & vniuersas hominis vires dirigit. Prudentia autem multas ac varias habet species, partes, & comites, quas Theologi, præsertim sanctus Thomas, latissime profsequuntur. Nam si species eius consideremus, altera est prudentia, qua quis regit seipsum; altera, qua regit multitudinem. Hæc verò adhuc est multiplex: Nam quaedam dicitur æconomica, quæ gubernat domum: alia dicitur militaris, quæ gubernat exercitum: alia regnatiua, quæ gubernat regnum aut rempublicam: & alia politica, qua subditi seipso rectè disponunt, circa bonum regni cõmune. Si verò partes,

D. Thom.
à 9. 47.
19. ad.

pruden

prudenciam constituentes, & quasi integrantes, inspiciamus, multa sunt nempe memoria, qua recordamur praeceptorum: intelligentia siue cognitio praesentium: docilitas, qua ducti alterius erudimur: solertia, qua occulta bene coniectamur: ratio, qua ex vniuersi notionem in alterius notionem deuenimus: providentia, qua media ad finem consequendum apte praeviuimus: circumspectio, qua rei circumstantias animadvertimus: & cautio, qua periculis & impedimentis oblitamur. Si tamen comites prudentiae inuestigamus, istae sunt tres: Bona consultatio: rectum iudicium secundum rationes communes; & rectum iudicium praeter legem communem, cum negotij qualitas ordinarias regulas in sui dispositione non patitur. Haec omnia recte & accommodate ad Theologicam tractationem dicta sunt. Nos vero, qui virtutum naturas in ordine ad spirituales vitam breuissimè delibamus, in quinque tantum partes hanc virtutem distribuimus; nempe in prudentiam, discretionem, docilitatem, sollicitudinem, & circumspectionem, quas qui assequutus fuerit, non in infimo gradu lucem ad spiritualiter viuendum habebit.

De Prudentia. §. I.

Prudentia est virtus intellectus practici, qua, proposito nobis sine vitiatas, media ad illum consequendum per consultationem inquirimus, & per iudicium inuenimus, & per praecipuum efficax executioni mandamus. Bernardus ex Augustino breuissimè eam definiuit dicens: Est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Et ipse Augustinus alio loco ait: Prudentia est amor, ea quibus adiuuatur in Deum, sagaciter eligens. vocat autem eam amorem, non quia amor sit, sed quia ad amorem bonorum, quibus ad virtutem iuuamur, impellit.

Incitamenta ad Prudentiam sunt: I. Virtutes aliae sine prudentia, non tantum decorem & pulchritudinem perdunt, sed etiam ex statu virtutum in vitia dilabuntur. Nisi enim prudenter se habeant, vel à regula sua exorbitant, vel deficient, & ideo vitium per excessum vel per defectum fiunt. Vnde Bernardus: Tolle hanc, & virtus vitium erit. Ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturae. Et Gregorius ait: Nisi virtutes reliquae, sapientia: epulis repleat, quae operantur, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.

II. Homo sine prudentia, in periculo casus manifestè versatur, quia, cui lux ista praestantissima intellectus deficit, caecus est: necessarioque aut in loco iniuo & periculoso securus ambulabit, & se praecipitem ager, aut in loco tuto & plano timebit, & praetimore iter perfectionis non arripit. Optime Laurentius Iustinianus ait: Non potest quis à malo fugere, & se in bono conseruare, nisi in cunctis, quae agit, praestet prudentia; per quam discernendo cunctas singulasque valeat moderati voluntates: ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo verus, ne quod malum est, bonum; ne quod bonum est, malum esse credatur.

III. Regnum caelorum, id est, Ecclesia, decem virginibus comparatur; quarum [quinque erant factae, & quinque prudentes.] Harum salus prudentiae tribuitur, quia nimirum acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, nam considerantes fidem solum lampade significatam ad salutem non sufficere, oleum, id est, bona opera (vt interpretantur Hilarius & Hieronymus) habere voluerunt. Illarum vero damnatio ex stultitia opposita prudentiae processit; quia sola si-

A de contentè oleum bonorum operu contempserunt. Magna ergo & summe necessaria est virtus prudentia, qua virgines seruat, & à damnatione liberat, quatenus media à Deo ad salutem instituta, opere tenenda esse efficaciter dicat.

Actiones Prudentiae sunt: I. Finem totius vitae, scilicet beneplacitum Dei & assequutionem beatitudinis, attentè respicere, & in quocumque speciali negotio proprium etiam virtutis finem intueri.

II. De medijs ad finem consequendum per diuinas leges consultare, pro luce ad intelligendam diuinam voluntatem orare, diligenti etiam meditatione & consilio aliorum vti, ac quemque non multum sibi ipsi fidele.

III. De his, quae in consultationem allata sunt, iudicare, & inutilia ab vtilibus, & mala à bonis, considerato statu nostro ac vocatione, necnon & vitium mensura, discernere.

IV. Ea, quae meliora sunt, & fini, ad quem tendimus, congruentiora, praeligere.

V. Voluntatem, & ceteras animi vires ad ea, quae electione acceptata sunt, operi exequenda efficaciter per imperium inflectere. Vir enim sapiens, fortis est; & vir doctus, robustus & validus, qui non solum rectè iudicat, & eligit, sed bona efficaciter perficit.

Postulatio prudentiae: Domine Iesu Christe, magister bone, qui sectatores tuos ad sinceram prudentiam & prudentem sinceritatem hortatus es, monens eos, vt essent prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae; da nobis sedium tuarum asstuticem sapientiam, quae nobiscum sit, & nobiscum laboret, vt te finem, ac scopum omnium laborum nostrorum habeamus, vt ita eos per prudentiam spiritus moderemur, vt & tibi placeant, & in omni virtute ac sanctitate promoueant, tibi que nos tandem felicitatis assequutione coniungant. Amen.

De Discretion. §. I.

Discretio est spiritalis prudentia, qua in his, quae ad interiora spiritus pertinent, vera à falsis, bona à malis, meliora à minoribus bonis discernimus, & his repudiatis, illa quae magis cõferunt, acceptamus. Hæc Albertus manifestè à prudentia distinguit, non aliter (vt puto) quam partem à parte. Nã prudentia videtur ad moderandas actiones externas virtutum moralium pertinere: Discretio verò intima spiritus penetrare.

Incitamenta ad discretionem sunt: I. Quòd sic vt Deus sapientia sua in huius orbis fabrica res inter se distinxit, & aptis in locis collocauit, vt mundus perfectus existeret: vnde facta luce diuisit lucem à tenebris, & aquas ab aquis, aquamque inferni iacentem, quam appellauit maria, à terra segregauit: ita iustus discretionem sibi immissa diuinitus, inter cogitationes & affectiones discrimen constituit, vt quibusdam admissis, quibusdam repudiatis, & singulis in suo loco dispositis, vitam suam Deo placitam & perfectam efficiat.

II. Discretio est oculus mentis, de quo ait Dominus: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Ea qui caret, caecus est, & in mille incommoda & errores impingit; eam qui habet, non tantum videt, sed inter bonum, melius, & optimum in vnaquaque re aptè sapienterque discernit. Egregie id explicauit Bonauentura, dicens: Discretionis altus gradus est, secundum ordinem Dei vt donis temporalibus: altior, secundum ordinem Dei vt donis naturalibus in corpore & in animalibus: altissimus, vt secundum ordinem Dei donis grauitatis in anima. Item. Altus gradus est, seruare praecipua scripturae: altior, seruare consilia scripturae:

Bern. ser. de uill. eo. Aug. lib. 1. de lib. arbitrio. c. 13. lib. de mori. Ecclesia. c. 15.

Bern. ser. 49. in Cant. Greg. 2. mor. c. 33.

Insi. in ligno vita de prud. c. 3.

Matth. 25. 1.

Hilary. Hier. ibi.

Prov. 24.

Alber. de virt. c. 8. §. 34.

Gen. 1. 4.

Matth. 6. 22.

Bonau. li. de gradib. virt. c. 26.

altissimus, seruare doctrinam Iesu Christi. Item, Altus gradus est, regere se secundum exempla sanctorum: altior, secundum exempla Christi: altissimus, secundum mores Dei. Item, Altus gradus est, cogitare varia beneficia Dei: altior, de beneficiis collatis gratias agere: altissimus, laudare diuinam naturam & bonitatem, quæ coegit dantibus. Item, Altus gradus est, in omnibus cautum esse coram secularibus, ne scandalizentur: altior, cautum esse coram religiosis, vt ædificentur: altissimus, coram Deo iudice cautum esse, ne offendatur.

Cassian. vol. 2. c. 6.

Prov. 11. sec. 70.

Psal. 103.

Prov. 24. 70.

Hebr. 5. 14.

Hebr. 4. 12.

III. Multiplex perfectio discretionis, quam Cassianus pulchre depingit his verbis: Hæc est discretio, quæ non solum lucerna corporis, sed etiam sol ab Apostolo nuncupatur. Secundum illud: Sol non occidat super iracundiam vestram. Hæc etiam vitæ nostræ gubernatio dicitur, secundum illud: Quibus non est gubernatio, cadunt vt folia. Hæc consilium rectissime nominatur, sine quo nihil agere omnino scripturæ autoritate permittitur, ita vt ne ipsum quidem spirituale vinum, quod lenificat cor hominis, sine ipsius sinamur moderatione percipere: secundum illud: Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe. Et iterum: Sicut ciuitas muris diruta & non circumdata, sic est vir, qui non cum consilio aliquid agit. Cuius priuatio quam perniciosa sit monacho, testimonij huius exemplum figuratè declarat, diruta cum ac sine muris comparans ciuitati. In hac sapientia, in hac intellectu, sensusque consistit, sine quibus nec interior nostra ædificari domus, nec spirituales poterunt diuitiæ congregari: secundum illud: Cum sapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur, cum sensu implentur cellaria omnibus diuitiis pretiosis & bonis. Hæc, inquam, est solidus cibus, qui nisi à perfectis tantum ac robustis sumi non potest: secundum illud: Perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Quæ in tantum vtilis nobis ac necessaria comprobatur, vt etiam verbo Dei eiusque virtutibus coaptetur: secundum illud: Viuus est enim Dei sermo & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & discretionum cordis, quibus manifestissime declaratur, nullam sine discretionis gratia posse vel perfici, vel stare virtutem.

Actiones discretionis sunt. I. Discernere inter malum, peius & pessimum, vt secundum suam malitiam reiciantur, & inter bonum, melius, & optimum, vt secundum suam bonitatem amentur.

II. Aduertere, quam reuerentiam debeamus superiori, quam compassionem inferiori, quam societatem æquali. Item, qualiter nos debeamus habere ad viuos; qualiter ad vita functos, quomodo erga prædecessores, & quomodo erga successores: qualiter ad amicos, qui diligendi sunt in Deo, qualiter ad inimicos, qui etiam diligendi sunt propter Deum.

III. Considerare, quæ resectio sit danda corpori, & qualis, & quanta, in cibo, potu, & somno, & in indumento, & in omni corporali exercitatione; nec non quæ, qualis, & quanta concedenda sit animæ in oratione, in lacrymis, in laude diuina, & in omni studio pietatis.

IV. Distinguere tempora laborandi, & quiescendi, loquendi, & tacendandandi, & accipiendi, & in omnibus debitas circumstantias obseruare.

V. Ordinare cogitationes, ne extra Deum vagentur. Affectus mentis, ne nimis in creaturis occupentur; voluntates, ne à Deo separentur: intentiones,

A ne impuritati miscantur. Et suspiciones ac iudicia in meliorem partem conuerrere, & verba ac facta in bonum linem dirigere.

VI. Inter creatorem ac creaturam discrimen statueri, & illum propter seipsum diligendum esse cognoscere: Hanc verò aut propter Deum diligendam, aut si nos à dilectione eius diuellat, ex toto contemnendam iudicare.

VII. Vel tandem, secundum Ricardum Victorinum, actiones discretionis sunt: I. Iudicatio, quæ cuncta in iudicium adducit, & segregans bona à malis, per illicita nos efluere non permittit. 2. Deliberatio, quæ nihil inconsultè agit, & nos à superuacuis restringit. 3. Dispositio, quæ cuncta ordinate operatur, & nihil confusum relinquit. 4. Dispenfatio, quæ superuenienti occasione cedit, & humanæ infirmitati condescendit. 5. Moderatio, quæ modum custodit in omnibus, & mensuram non excedit. De his quinque discretionis partibus interpretatur illud Davidis: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Manus duæ, iustitia & misericordia sunt, quas Dominus ad prælium docet, cum aduersus omnem iniustitiam & cordis duritiam nos instruit. Quinque autem digiti sunt quinque actus discretionis, quos ad bellum erudit, cum per illos omne peccatum debellare nos facit. Diuicatio est velut pollex; nam sicut pollex omnibus aliis positione respondet; sic diuicatio aliis actibus materiam acceptandam vel respiciendam subministrat. Deliberatio est velut index, quæ quid faciendum sit, indicat & ostendit. Dispositio est velut medius digitus, qui in medio est, & altior est cæteris, & ita dispositio, quasi gubernatrix, omnia agenda disponit, ordinat, & moderatur. Dispenfatio est velut medicus, qui infirmitati se accommodat, & quæ rectè disposita sunt, quia ex occasione emergente non rectè succedent, prudenter mutat. Moderatio est vt minimus digitus seu auricularis, nam ille aures mentis ad obaudiendum mandatis purgat, qui in omnibus quæ agit, dignas moderationis metas obseruat.

Ricard. ad Psal. 143.

Psal. 143.

Postulatio discretionis: Domine Iesu Christe, qui non vt homines, vides in facie, sed vt Deus intueris cor, & opera nostra, discretionis sale condita, licet externa specie parua sint, approbas, & hoc sale vacua, licet magna videantur, vt vilia & inutilia contemnis, intelligentias nostras spiritu discretionis nobilita, vt vera à falsis & bona à malis discernendo, in operibusque & desideriis nostris mensuram virtutis tenendo, vita nostra tibi placeat, & quotidie ad gloriam tuam in melius proficiat. Amen.

De Docilitate. §. III.

Docilitas est applicatio mentis sollicita, frequens, & summissa ad documenta maiorum, non negligens ea propter ignauiam, nec contemnens propter superbiam. Sic colligitur ex Thoma Aquinate descriptio docilitatis, cui alia descriptio Cypriani ascriptur, qua docilem definit. Ait enim: Docilis est ille, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis.

D. Tho. 2. 2. 2. q. 49. art. 3. ad 2. Cyprian. ad Papei. c. epist. Ste phani.

Incitamenta ad docilitatem sunt: I. Exempla sanctissimorum hominum, qui alios in consilium aduocare, eos libenter audire, & ipsorum sententiam magis quam propriam sequi maluerunt. De quo sic Basiliius ait: Quanta verò vtilitas ex consilio alterius percipiatur, vel maxime patet in Mose, qui quantumuis orani Aegyptiorum sapientia instructus esset, & licet cum Deo de facie in faciem, vt amicus cum amico, sermonem & consilia conferret,

Enfl. or. 21. de facili.



tamen socii sui lothet consilium est sequutus, in constitutendis centurionibus, decurionibus, ac tribunis, qui praessent, ac iudicarent populum. Sic David consilio Chulis vsus, hostilis animi consilia Achitophel evertit; dispulitque. Profecto diuina quaedam res est, consilium: est namque animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demissae demonstratio.

II. Ea, quae prudentiae & discretioni subsunt, quasi infinita sunt, nec vllus, quamuis sapientissimus, ad omnia per se cognoscenda & discernenda potest sufficere: Ergo omnibus docilitas necessaria est, vt alij alios libenter audiant, & eorum sententias, si propriis definitionibus praesent, actione compleant, & se proprio iudicio non regant. Quare non huic aut illi, sed omnibus dicitur: Ne sis sapiens apud te metipsum: Ne innitaris prudentiae tuae:] Si dilexeris audire, sapiens eris.] Et Bernardus non aliquid monens de medio populo, sed ipsum summum Pontificem, ait: Diligenter proinde, omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum his, qui te diligunt, Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est. Sapientis consilium est: Omnia fac cum consilio, & post factum non poenitebis.]

III. Facilem autem reddit docilitatis exercitationem, considerare, qui qualisque sint in consultores eligendi. Neque enim omnes in consilium vocandi sunt, nec omnes, consilia nobis ingerentes, audiendi, sed illi, quibus magna proteruita est reluctari, quia sapientia & rerum experientia praestant: & insignis sapientiae indicium est illis obedire. Roboam relicto seniorum consilio, iuuenibus insipientibus obsequutus est, ideo populus merito ab illo defecit. Non hoc dicimus, sed vt senioribus, sapientioribus, & Deo magis propinquis, recta consulentibus pareamus. Queramus ergo consiliarium;

qui (vt inquit Ambrosius) nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum, ac maleuolum, quod auertat consulentes. Hunc autem gratum erit audire, huius dictis iacundum erit acquiescere, periculosum autem, eius monita praeterire.

Actiones docilitatis sunt: I. Spirituali magistro, qui nos regit, totam conscientiam, & cunctos recessus mentis nostrae, verè, syncerè, & fideliter patefacere.

II. Faciles & paratos ad eum audiendum, & ipsius monitiones excipiendas nos exhibere.

III. In omnibus, praesertim alicuius momenti, quantum prudentia permisit, pro consilio ad eum recurrere.

IV. Quae praeeperit, aut suaserit, in quo peccatum non appareat, reuerenter excipere, & proprio iudicio abnegato diligenter executioni mandate.

V. Quod minus prudentiae & discretionis habemus, habita ad eum obedientia supplere.

VI. Vbi aptus consiliarius defuerit, optimum consilium a Deo per ardentem orationem exquirere.

Postulatio docilitatis: Domine Iesu Christe, qui per os Apostoli tui Iacobi, sapientiam a te donatam suadibilem appellasti, & homines non per Angelos, sed per alios homines gubernari voluisti; qui que Paulum Apostolum tuum vas electionis ad Ananiam pro accipienda doctrina veritatis destinasti: da nobis quaesumus, [ne prudentes simus apud nosmetipsos,] sed nostrum nihilum agnoscentes; te per superiores ac magistros nostros ad nos loqui intelligamus, & ipsis conscientiam nostram syncerè ape-

rientes, eorum monitis & consiliis nos dociles ac morigeros praebemus. Amen.

De sollicitudine. §. IV.

Sollicitudo est celeritas mentis in rectè exequendis virtutum operibus, quae per prudentiam ac discretionem apta obsequio Dei & nostro profectui, iudicata sunt. Quam Petrus copulauit prudentiae dicens: Estote prudentes, & vigilate in orationibus.] Ex quo constat, sollicitudinem alio nomine vocari vigilantiam, quoniam soporem mentis, id est, noxiam quietem, & incuriam in bene operando, repellit. Vocatur etiam feruor spiritus: quoniam sicut aqua feruens huc illucque mouetur, & praecalore muscas & animalcula immunda intra os intrare non patitur: ita animus vigilans atque sollicitus, nunquam in noxia quiete est, sed diligenter curat, impedimenta bonarum actionum expellere; & eas sine vlla, quantum potest, imperfectione praestare.

Incitamenta ad sollicitudinem sunt: I. Tepiditatis & negligentiae status: in spiritali verò quodammodo peior est statu carnali, quia facilius quis & frequentius solet a peccato ad gratiam resurgere, quam ad feruorem a tepore transire. Cuius rei Cassianus est manifestus assertor, ita scribens: Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de saecularibus atque paganis, ad spiritualement peruenisse feruorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per prophetam, ita legimus, Dominum detestari, vt spiritalibus viris atque doctoribus praecipatur, vt ab eis monendis docendisq; discedant, & nequaquam veluti in sterili, atque infructuosa terra, noxiisque sentibus occupata, semen verbi salutaris expendant, sed vt contemnentes eam; nouam potius excolant terram, id est, erga paganos, ac saeculares omnem doctrinae culturam, ac verbi transferant salutaris instantiam: quod ita legitur: Haec dicit Dominus viro Iuda & habitatoribus Ierusalem, Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.]

II. Magna sollicitudine mundani homines, fallaces diuitias quaerunt, impuras voluptates inquirunt, & inanes honores aucupantur, nihilque quod suis desideriis conducibile existimant, insectum praetermittunt. Nos ergo tanto sollicitiores esse oportet, quanto non vana, sed vera speramus; non impura, sed sancta, sed perfecta, sed Deo placita concupiscimus. Ne dicatur de nobis, quod filij huius saeculi prudentiores & vigilantiores filiis lucis in generatione sua sunt. Immo potius pareamus voci Domini dicentis: Vigilate dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant.]

III. Non desidibus & otiosis, sed sollicitis, & feruidis, & vigilantibus, diuitiae & praemia promissa sunt. Vnde optime dixit Basilius: Quis, quae so, vnaquam, qui semetis tempore domi desederit otiosus, aut etiam dormiens, vbi postea messis aduenit, sinum suum manipulis impleuit? Quis ex vinea, quam ipse non plantauit, vvas vnaquam collegit? Illorum enim sunt fructus, quorum & labores, sicut coronae praemiaque illorum, qui victores euaserint. Quis enim eum, qui ne in certamen quidem cum aduersario descendit, corona vnaquam dixit esse insigniendum? Cum ad eam promerendam, non victoria modo sed legitimus in certando conflictus requiratur, vt est apud Apostolum: quod quidem nihil aliud est, quam, vt eorum quae obser-

1. Petri. 4.7.

Cassian. col. 4. c. 19.

Ierem. 4. 3.

Basil.

Luc. 12.

Prouer. 3. 7. Eccl. 6. 24.

Bern. lib. 5. de consil. 4.

3. Reg. 12. 13.

Ambros. 2. offic. 6. 17.

Iacob.

Altor.

Roman. 12. 16.



uanda descripta sunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac singula ita fiant, vt à præscripto nihil discedatur. Beatus enim, inquit, seruus ille, quem cum venerit dominus, inuenerit non simpliciter quiduis facientem, sed sic facientem. Et si rectè quidem obtuleris, non rectè autem diuideris, peccasti.

Actiones sollicitudinis sunt: I. Bonis operibus, vt rectè & religiosè peragantur, debitam mentis attentionem ac necessarium conatum adhibere.

II. In cura perficiendorum bonorum operum, vigilantia, quam ponere consueuimus in rebus huius mundi, non uinci: sed sic vt exhibuimus membra nostra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita eadem exhibeamus seruire iusticiæ in sanctificationem.

III. Eadem bona opera tempore congruo præstare, & nec ob negligentiam, aut nimiam rerum temporalium curam, in inopportuno tempore differre, nec ob desiderium se ab onere bonorum operum exoluendi, ipsa præuenire.

IV. Omnia impedimenta, tum externa occupationum, tum interna secularium cogitationum, curarum, & imperfectionum, quæ bonorum operum pulchritudinem, tranquillitatem, & perfectionem inficiunt, constanter & animosè dimouere.

V. Tantam diligentiam singulis bonis operibus apponere, quasi tota salus ex vnoquoque penderet.

VI. Quodcumque bonum opus tanta cura ac diligentia præstare, ac si esset postremum, quod in tota vita sumus facturi, & ac si statim essemus morituri.

Postulatio sollicitudinis: Domine Iesu Christe, Pastor vigilantissime, qui exultasti vt gigas ad curandam nostræ redemptionis viam, & egressionem tuam à summo cælo, & reditum tuum vsque ad summum eius propter Adam & posterorum eius salutem, celerimè peregristi: præcinge nos sancti seruatoris virtute, & pone immaculatam ab omni segnitie viam vitæ & conuersationis nostræ. Perfice sollicitudine à te immissa pedes, hoc est, affectus nostros, tanquam ceruorum, & nos super excelsa & inaccessibleia virtutis statue, vt tibi summo Regi in terris positi, sicut in cælis Angeli seruiunt, sollicitè & vigilanter seruiamus. Amen.

De Circumspectione. §. V.

Circumspectio est attentio mentis sedula ad ea quæ circumstant bonum opus, quod aggredimur, vt rectè & secundum præscriptum virtutis fiat, & ad ea quæ insurgunt, & sese obiciunt, impedimenta, ne quod prudenter incipimus, sinistrè succedat. Et hæc pars circumspectionis, quæ mentem præmunit aduersus insurgentia & imminetia mala, vocatur cautio; de qua Paulus: Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, vt sapientes. De circumspectione autem Ecclesiasticus ait: Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei: vt scilicet ex ea discat quomodo se in omnibus circumspectè habere debeat.

Incitamenta ad circumspectionem sunt, I. Malitia diaboli, qui, vt Petrus ait, tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret. Et licet libenter malis & impuris hominibus velsatur, tamen bonos præcipuè ac puros deuorat & deglutire nititur. Pulchre enim Gregorius ait: Sed an-

tiuus hostis hoc pro magno non habet, quòd sub iure suæ tyrannidis terrena querentes tenet; Propheta quippe attestante cognouimus, quia elca eius electa. Nec enim mirum deputat, si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separant, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbent ergo fluuium, & non mirabuntur, quia pro magno non estimat, cum eos deuorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt, sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iungi iam cælestibus contemplatur. Cum ergo iusti tam antiquum & implacabilem hostem habeant, mirum erit, si securi dormiant, & non circumspecti, & cauti aduersus illum se diligenter accingant.

II. Omnia sunt plena periculis, & non solum in vitio, sed in ipsa virtute discrimen est, quare necessarius est discretionis oculus, qui pericula spiritalia præuideat, & solens cautionis gubernator, qui latrunculos, nos infestare & deprædari volentes, semel cognitos arceat, & thesaurum virtutis integrum intactumque custodiat. Meritò quidem seruus ille laudatur, quem cum venerit dominus, inuenit vigilantem, adeo vt dignus sit super bona domini constitui. Ille autem vigilat, qui circumspectus est, vt prouideat bona, & cautus, vt tota mentis contentione fugiat, & vitet mala.

III. Dominus mittens discipulos ad prædicandum, ait illis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Dominus quidem mittit, & ex hac parte satis securi sunt, at ex parte luporum, inter quos mittuntur, non possunt non esse obnoxij discrimini. Sint ergo simplices sicut columbæ, vt simpliciter iusta impieant, & in Domino mittente confidant, sed sint prudentes sicut serpentes, vt inter lupos, & vitia, & occasiones cadendi, sibi caueant. Serpentis prudentia circumspecta & callida est: Nam serpens, vt inter alios inquit Basiliius, si quid periculi incurrere viderit, caput ante omnia custodit: sic & nos, quia pericula vndique circumspecte videmus, vt caput, id est, vitam animæ conseruemus, ab omnibus, quæ eam aut destruere aut minere possunt, diligenter caueamus.

Actiones circumspectionis sunt: I. Circa finem, vt in omnibus, quæ agimus, bonum diuini obsequij finem intendamus, ad illumque vehementer afficiamur, quo difficultates eum assequendi superare possimus.

II. Circa media: vt in eorum electione, & multo magis in executione, passionem, præcipationem, & obstinationem fugiamus. Nam passio cæcat, præcipitatio deiicit, & obstinatio in propria sententia, salutari consilio ianuam occludit.

III. Circumspectio extrema fugit, quia virtutem querit, quæ medium locum obtinet.

IV. An ea quæ eligit sint proportionata fini obsequij Dei, & virtutis assequendæ, aut proximo proficiendi, diligenter inquirat. Erunt autem proportionata, si bona, quia pro nullo sine bono malum faciendum est, si statui operantis conuenientia, si vtilitatem aliquam ad consequendum finem allatura iudicetur.

V. Circumspectio in dubiis, si consilium querit, omnes quidem audit, sed sententiam pauciorum, id est, prudentiorum & optimorum admittit.

VI. Festinat lentè, & nec statim, quid sit faciendum, sed maturè post attentam considerationem, decernit: nec ante tempus opportunum ad executionem procedit.

Psal. 17. 33.

Ephes. 5. 15.

Eccles. 14. 22.

1. Petri. 5. 8.

Greg. 33. mor. c. 18.

Abacuc. 1.

Matth. 10. 16.

Basil. hom. in princ. p. uerb.



VII. Ita est matura, vt non sit nimis tarda, nec rempus loquendi aut faciendi, quod oportet, labi sibi ob nimium errandi timorem.

VIII. Circumspectio ad ea quæ cogitat, quæ loquitur, & quæ agit, vigilanter attendit ne in substantia operis, aut in modo deficiat. Scit etiam, nec omnia vera dicenda esse, nec omnia tacenda. Seruat optimè consilium sapientis: Omnia tempus habent, & tempus tacendi, & tempus loquendi: & magis ad taciturnitatē, quàm ad loquacitatē inclinat.

IX. Non omnibus ficit, nec arcana sua passim reuelat, custodiens illud Salomonis: Torum spiritum suum proferet stultus, sapiens differt, & reseruat in posterum.]

X. Procul odoratur bellum, & pericula ventura præuidet, & si potest illa fugit, sin minus orationibus, & sanctis considerationibus, & alijs medijs se præmunet, & ante langorem adhibet medicinam, & ante iudicium interrogat se ipsam.

XI. Nequaquam omni spiritui credit, sed probat spiritus an ex Deo sint. Aduersationum tentationes intelligit, & ad eas propulsandas conuenientia remedia adhibet, & se non in pace, sed in belli prociectu stare cognoscit.

XII. Circumspectio vbi timendum est timet, & vbi formidinis nihil est, confidenter incedit, & non omnia bona, sed statui & vocationi conuenientia præsumit.

XIII. Opiniones vulgi contemnit, dicta & subannationes tepidorum pro nihilo ducit, & solum Dei beneplacitum, conscientia attestacionem, & bonorum approbationem inquirat.

XIV. Nec omnia credit, nec omnia discredet, nec omnia affirmat, nec omnia negat, nec omnia iustificat, nec omnia damnat, nec ob sanctitatem vnus omnes approbat, nec ob peccatum alterius vniuersos condemnat, sed quæcumque se offerunt, ex præscripto rationis iudicat.

XV. In æstimatione rerum externa specie non fallitur, sed oculis mentis, vt verum eruat, intima penetrare conatur. Scit enim, lignum vile aliquando auti colore splendere, & fel sub melle ac spinas sub rosas latitare, & lupos conuersatione vestimentis ouium cooperatos inueniri.

XVI. Tandem circumspectio non est facilis in credendo, quod est signum leuitatis; nec in concedendo, nam est causa penitentiæ; nec in iudicando, quoniam est feminarium erroris; nec in promittendo, quia est species quedam seruitutis; nec in conuersando, quia est occasio contemptus; nec in irascendo, nam est insania apertum indicium.

Postulatio circumspectionis: Domine Iesu Christe, Agne innocentissime, & amator hominum sapientissime, qui tanta in terris circumspectione vixisti, vt inter hostes tuos positus, dicere poteris: Quis ex vobis arguet me de peccato? Hæcque tam libera innocentia attestacione neminem ad te reprehendendum, quia nihil omnino reprehensione dignum habes, prouocasti: Da nobis, oramus supplices, circumspectam & cautam conuersationem, vt peccata vitemus, & in omnibus, quæ aggressi fuerimus; bonum tui odorem spargamus. Amen.

De Virtute Iustitiæ.
CAPVT VII.

IUSTITIA, præstantissima virtus, quæ homines à mutuis iniurijs auerit, ciuitates erigit & custodit, regna florere & eminere facit, & vniuersum orbem in pace constituit, non vnæ tantum

A virtus est, specie atoma (vt more scholarum loquuntur) sed in multas ac varias species, ac quasi partes distributa. Cùm enim iustitia vnique debitum reddat, secundum diuersitates debitorum, quæ pendimus, & difficultates exoluendi, diuersas iustitias aut vnus iustitiæ partes assignare compellimur. Certè quidem iustitiæ quatuor sunt species: nempe legalis, æquitas, distributiua, & commutatiua. Iustitia legalis est, quæ respicit iustum, & æquum reipublicæ, aut bono communi conducibile, quæ tam est in principibus & Prælatiis prout iusta decernunt, & gubernationi se applicant, quàm in subditis, prout se iusto propter commune bonum accommodant. Æquitas siue epieikeia est, quæ perficit iustitiã legalem, quatenus in absentia legislatorum & Prælatorum interpretatur leges in extraordinarijs euentibus, non secundum verba legum, sed secundum mentem legislatoris. Iustitia distributiua est, qua distribuuntur bona communia inter personas rei publicæ aut communitatis, seruata proportione bonorum ad merita. Commutatiua est, qua particulares ciues mutuo in commutationibus & contractibus æquitatem custodiunt. Et de his nihil amplius est dicendum, quia ad spiritus doctrinam non pertinent, nisi quòd eas omnes sub communi nomine iustitiæ comprehendimus. At partes iustitiæ, nempe illæ virtutes, quæ nos ad alterum ordinant, & quodammodo debitum reddunt, multæ sunt: Nempe religio, penitentiã, pietas, obseruantia, obedientia, gratitudo, veritas, simplicitas, amicitia, liberalitas. De quibus singulis agamus oportet.

De Iustitiã. §. I.

Iustitia, vt ex Augustino & Gregorio Niceno colligitur, est virtus voluntatis, tribuens vnique quod suum est. Vel vt Laurentius Iustinianus ait: Est, quæ suum cuique tribuens, alienum non vendicat, vilitatem propriam negligit, vt communem custodiat æquitatem. Vel iustitia est virtus, qua cuique secundum debitum benefacimus, neminem lædimus, congregationis statum seruamus, & nos sine querela apud Deum & homines custodimus.

Inciumenta ad iustitiã sunt: I. Natura ipsa, quæ corpus rectum & in calum erectum homini dedit, vt ex ipso corpore mentem, in eo residentem, iustitiæ & rectitudinis admoneret. Leges etiam iustitiæ in ipso humano corde conscripsit, iuxta illud Pauli: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; vt videlicet nulla posset esse excusatio iustitiæ seruandæ, quam in mente gestamus, & sine vilo labore, sine studio, aut industria, nobiscum natam eius noticiam habemus.

II. Iustitia voluntatem Dei implemus: Nam indicabo tibi, ô homo (inquit Micheas) quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium & iustitiã, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Domino tuo. Hac immortalitatem acquiramus. Iustitia enim, vt ait Sapiens, est perpetua & immortalis; iniustitia verò mortis est acquiritio. Hac veram saturitatem comparamus. Beati namque sunt, qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi saturabuntur. Hac denique lætitiã & exultatione complemur: iuxta illud Psalmi: Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitiã.]

III. Dominus, cui placere cupimus, amator est iustitiæ. Nam iustus Dominus, & iustitiã dilexit,

Aug. 19. de ciuit. Dei. c. 21. Nicenu. c. 4. de beatitudinibus. Iustin. de casto conubio. c. 13.

Rom. 1. 14. 15.

Michea. 6. 8.

Sapien. 1. 15.

Math. 5. 6.

Psal. 67. 4.

Psal. 10. 8.

Ecd. 2. 1.

Prover. 29. 11.

Ecd. 18. 20.

Iuan. 8. 46.

Pfal. 145.
9.
2. Timot.
4.6.

æquitatem vidit vultus eius.] De eo etiam scriptum est: Quia Dominus diligit iustos.] Et Paulus: In reliquo, ait, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.] Atque adeo, qui se à iustitia alienum facit, gemmam pretiosam & à Deo maximè dilectam odio habet, qui nec à Domino diligitur, nec beatitudinis corona donabitur.

Actiones iustitiæ sunt: I. In superioribus & Prælati, zelate pro legibus, iusta præcipere, ad rectam gubernationem se applicare, delicta punire, bona gesta præmio saltem laudis cumulare, subditorum utilitates suis emolumentis præponere; omnibus communes esse, & in nullius personam affectu nimis dilectionis inclinari.

II. In subditis; Legibus & præceptis obedire; ad alios concivis & confratres concordiam servare, neminem pravis exemplis lædere; commune bonum propriis commodis atque utilitatibus præferre.

III. In distributoribus: Proportionem bonorum ad necessitatem & dignitatem personarum, in quas distribuuntur, servare: ut, verbi gratia, ciborum, & vestimentorum, & cellarum: à dignitatibus indignos arcere, inter dignos, præsertim in officiis Ecclesiarum & religionum, digniores eligere, & omnem præsentationem & ambitionem detestari.

IV. In his, quibus bona distribuuntur: Sibi necessariis contentos esse: nihil ultra necessitatem, præcipue cum penuria aliorum, admittere: dum non vocantur, nec eliguntur, se ad dignitates non ingerere: dum vocantur, humiliter parere, & suæ electioni pertinaciter non obistere.

V. In omnibus: Nemini damnum afferre verbo, facto, vel signo, vel consilio in rebus, in corpore, in honore, nunquam de proximo malum suspicari, nunquam de ipso detrahere, nec contumeliam aut aliam iniuriam inferre, nec bonum eius pervertere, vel diminuere, aut à bono impediri.

VI. Item bene de proximo sentire, facta eius in melius interpretari, illum honore debito afficere, apud alios excusare & defendere, & quoad potuerimus, eum in bono promovere.

VII. In imbecillibus & infirmis: Ad communia statuta servanda se ipsos animare: cum non possunt à Prælato humiliter dispensationem petere, & si longè absit, & aperta sit necessitas, per episcopiam cum timore Domini legem ac statutum interpretari.

Postulatio iustitiæ: Domine Iesu Christe, qui non solum iustus, sed & auctor iustitiæ & ipsamet iustitia in scriptura vocaris, & postremum actum erga mortales in novissimo die, ex inexhausto thesauro virtutum tuarum à virtute iustitiæ proferes, dum malis poenam suorum criminum & iustis gloriam suis meritis paratam decernes: da nobis Domini iusti iustos servos esse, iustitiam in omnibus diligere, secundum iustitiæ præscriptum vivere, & nunquam ab eius viis rectissimis declinare. Fac nos, o amator hominum ardentissime, incedentes in mandatis tuis sine querela, ut in magno iudicii die, iuxta illud: Stabant iusti in magna constantia,] confidenter misericordiam à te expectemus, & iuxta spem nostram effectum misericordiæ tuæ, scilicet tuam, que nos satiet, visionem recipiamus. Amen.

De Religione. §. II.

Religio est virtus, qua Deo, tanquam omnium creatori & domino, debitum cultum & honorem exhibemus, idque ipsum nomen sonat. Sive

enim dicatur à religendo, aut à frequenti electione eorum, que spectant ad cultum divinum, ut Iudæus ait: siue à religendo ipsum Deum, quem per peccatum abieceramus, ut ait Augustinus: siue à religendo nos Deo, ut putat Lactantius Firmianus: siue à religendo vel retractando, que sunt honoris Dei, ut cenfer Tullius: Hæc omnia nihil aliud quam divinum cultum & venerationem significant.

Ancitamenta ad religionem sunt: I. Quod ex septem causis conflatur, quibus maximè ad Dei cultum & venerationem astringimur. Prima est excellentia divinæ maiestatis. Ipse enim solus est, ut ait Iob, cui creaturæ omnes comparatæ non sunt.] Quare hoc nomen sibi vindicat, dicens: Ego sum qui sum: sic dices filiis Israël. Qui est mihi me ad vos.]

BIpse est solus bonus: Nam summa veritas dixit: Nemo bonus nisi solus Deus. Ipse est solus potens, de quo Paulus: Qui est beatus, & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibile.]

Quod si dignioribus & maioribus cultus debetur, honor debitus erit illi, qui solus habet excellentiam omnem & maiestatem: à quo quicquid boni & dignitatis habent uniuersæ creaturæ, participant. Secunda causa est qualitas nostræ conditionis. Nos namque Dei sumus, secundum illud: Omnes animæ meæ sunt: sicut anima patris, ita anima filij mea est:] & omnia, que sub cælo sunt, mea sunt.] Quid autem æquius quam ut homo suum creatorem veneretur, & in eius cultu suam omnem vitam insumat? Tertia præstantia

Cnostri finis, qui ipse Deus est. Vnde ait Ioannes: Quia ipse est primus, & novissimus, principium, & finis. Nos autem creati ad Deum colendum, amandum, & sanctis obsequiis querendum, dum eum non colimus, nostro sine frustramur. Quarta, Dei præceptum, qui nulli alteri nisi sibi ipsi latræ cultum, & honorem exhiberi præcepit. Quis autem eius mandatum de re tam debita diligenter non seruet, ne tanti Domini & tam benefici indignationem meretur? Quinta, emptio: Nam [empti sumus à Deo pretio magno,] nempe sanguine filij sui, qui dedit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis: Graue autem delictum erit, si seruis tanti emptus suo hero non seruiat, & cultum ad quem emptus est, emptori suo diligenter exhibeat. Sexta est, præmium, quod nobis Deum colentibus promissum est. Domini enim vox est: Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.] Et rursum: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.] Septima denique baptismi susceptio. Qui enim baptizati sumus, Christum induimus,] ut quemadmodum ille totam vitam in Dei cultum & obsequium impendit & nos illi iuncti & incorporati, cultum Dei & honorem nostra vita & conuersatione queramus.

DII. Religio virtus est omnium virtutum moralium præstantissima; quoniam post virtutes Theologicas, proximè Deo accedit, à quo virtutes perfectionem habent, & in eius cultu & adoratione versatur. Estque hæc virtus sanctitas vera, prout sanctitas aliquam specialem virtutem significat, quoniam religionis actibus firmiter adhaeremus Deo, & eius munimi consecramur, & in dies puriores & immaculatores reddimur, Idque indicant verba Iacobi Apostoli: Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas, in tribulatione eorum, & immaculatè se custodire ab hoc sæculo. Quo loco cum substantia, cum effectus religionis exprimitur. Substantia eius est cultus Dei, qui

Eenim dicatur à religendo, aut à frequenti electione eorum, que spectant ad cultum divinum, ut Iudæus ait: siue à religendo ipsum Deum, quem per peccatum abieceramus, ut ait Augustinus: siue à religendo nos Deo, ut putat Lactantius Firmianus: siue à religendo vel retractando, que sunt honoris Dei, ut cenfer Tullius: Hæc omnia nihil aliud quam divinum cultum & venerationem significant.

Isidor.
10. etym.
c. 77.
Aug. 10.
de civit.
c. 24.
Lactant.
Anon.
inf. c. 28.
Cicero.
lib. 2. de
nat. Deo-
rum.

Exechiel.
8. 4.
Iob. 41. 2.

Apocal.
1. & 22.

Exod. 10.
3.

1. Corint.
6. 10.

1. Reg. 4.
30.
Matth.
10. 31.

Galat. 3.
27.



D. Tho. 2.2. q. 80. art. 1. ad 1.

paulatim mentem Deo iungit, & à saeculo auocat, & peccatis ac saeculi curis oblitendo (quod ad se attinet) immaculatam reddit. Effectus autem religionis sunt quaecumque charitatis opera, quibus homo, dum à cultu Dei vacat, occupatur, ne saecularibus negotiis inquitur.

III. Functiones religionis sunt praestantissimae, & summopere expetendae. Si enim in temporali re publica adherere regi, & eius aspectu & alloquio frui, & cum eo familiariter conuersari, omnibus aliis officiis & muneribus iure praefertur, quidni in Ecclesia, quae est regnum Dei, ipsi Deo adherere, eum colere, & honorare, & quasi eius aspectu frui, omnibus externis muneribus praefertur?

Actiones Religionis sunt: I. Honor Dei, qui consistit in hoc, quod talem de illo concipiamus estimationem, tam altè & excellenter de illo sentiamus, & tam profundè nos illi submittamus, quam decet creaturam de suo creatore sentire, & quam debitum est, vilissimum vermiculum infinitae maiestati submitti. Et haec praecipua religionis actio, à qua reliquae debent prodire, & ad quam excitandam & augendam debent ordinari.

II. Deuotio, id est, promptitudo mentis, in omnibus his, quae ad diuinum obsequium, & cultum pertinent, quae solet ex meditatione diuinorum praecipuè attributorum generari, & laetitiam spiritualem afficere.

III. Oratio, id est, petitio de centum à Deo, siue eleuatio mentis in Deum, qua etiam religiosè sanctos inuocamus, & oramus, vt eorum precibus & meritis apud Dominum adiuuemur.

IV. Adoratio, qua coram Deo, tum mente, tum corpore prosternimur tanquam coram maiestate summa, à qua omne bonum habemus. Item qua Beatam Virginem, & Angelos, & Beatos adoramus, quatenus in illis maiestas diuina resplendet. Illa prima vocatur latria, qua profitemur Deum omnium auctorem, soli Deo impendenda. Haec dulia, quae sanctos respicit, vt aliquid diuinæ excellentiae participant.

V. Sacrificium, quo Deo, tum corpus, & sanguinem Filij sui, in sacramento Eucharistiae existentis, tum mentem, & vires omnes nostras, & corpus, & membra singula, tanquam creatori nostro & principio nostrae beatificationis, offerimus.

VI. Administratio, & susceptio sacramentorum, quibus Deum esse gratiae auctorem & nostrarum mentium sanctificatorem profitemur.

VII. Exhibitio oblationum, primitiarum, & decimarum, quibus ministros altaris sustentamus, & nos eorum ministeriis indigere testamur, & Deum in illis, tanquam in ministris suis, honore prosequimur.

VIII. Voram, quo Deo in statu religioso, à sede Apostolica approbato, paupertatem, castitatem, & obedientiam promittimus, vel alia opera bona supererogationis vouemus, & conuenienti tempore reddimus.

IX. Iuramentum, quo instante necessitate (quae non frequenter occurrit) cum magna reuerentia Deum, tanquam infallibilem veritatem, in testem aliquius veritatis adducimus.

X. Adiuratio siue obsecratio, qua Deum per suam infinitam bonitatem, & per perfectiones suas, & per merita Filij sui, necnon per Beatæ Virginis, & sanctorum merita, & preces, obsecramus, & vt nobis aliquod bonum, ad suam gloriam ordinatum, concedat, instantèr petimus.

XI. Laus Dei, qua cum pro sua infinita perfe-

A ctione, & pro mirabilibus operibus suis, hymnis, psalmis, canticisque spiritualibus, ore laudamus, & cantu, ac musicis instrumentis tanquam summo regi, vt nos ad reuerentiam & feruorem excitemus, cultum & venerationem offerimus.

XII. Gratitude, qua Domino pro acceptis beneficiis & pro aduersis & prosperis gratias agimus, & pro beneficiis, quae proximis nostris impendit, affectum gratiarum actionis exhibemus.

XIII. Actus demum reliquarum virtutum, tum Theologicarum, tum Moralium, quos potest religio in diuinum honorem referre, & ad dandum ei cultum assumere.

Postulatio Religionis, Domine Iesu Christe, Deus creator & sanctificator noster, à cuius larga misericordia quicquid est supra nihil, accepimus, & donis tum naturalibus tum supernaturalibus ditamur, miserere humilitatis nostrae, & ne despicias nos, immò potius misericorditer adiuua, vt te in omnibus adorare, honorare, & laudare cupiamus. Da nobis Domine hanc praestantissimam virtutem, qua cultum qualem qualem ex creaturis tuis suscipis, vt qui nullo indiges, nostram indigentiam proferi facias, & dum eam cultui, tibi Deo nostro, & principio omnis boni nostri, impenso, testamur, amplioribus quotidie donis cumulemur. Amen.

De Penitentia. §. III.

C Penitentia est virtus, qua peccata nostra, vt sunt Dei offensae, detestamur, & ad eorum expiationem & satisfactionem venire contendimus. Vel, vt ait Bernardus: Penitentia est sine temporis intermissione de peccatis dolere: sic plangere commissa, vt non committantur plangenda.

Incitamenta ad penitentiam sunt: I. Si peccato mortui sumus, hoc vno remedio, scilicet penitentia, ad vitam reuocamur. Vnde Cyprianus ait: Cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione viuorum,] vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores penitentiam agere, & per penitentiam denuò ad vitam redire.] Quòd si imminens mortis corporalis periculo, tanta solitudine remedia ad vitandam mortem paramus, spirituali animae morte in interioribus nostris grassante, quantà diligentia æquum est in remedium, nempe in penitentiam, incumbamus, vt huiusmodi mortem propulsemus: Certè Dominus dixit: Nisi penitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.] Qua sententia docet, neminem, qui grauitèr deliquit, sine penitentia posse à spirituali animae morte resurgere, nec aeternam mortem euitare.

II. Grauitas peccati in Deum, summum bonum, admissi, & peccatoris inaudita procacitas, qui audet tantam offendere maiestatem, & in tanti Domini indignationem incurrere. Huius autem mali post baptismum nullum aliud remedium nisi penitentia superest, qua & Deum iratum placamus, & nos à peccati macula eluimus, & ab aeterna poena liberamur. Quare Ambrosius ad virginem lapsam ait: Penitentia ergo non verbis agenda est, sed actu. Haec autem sic agitur: si tibi ante oculos ponas de quantà gloria rueris, & de quo libro vitae nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est prauaricatricem animam tartareis poenis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum post baptismum, quam penitentiae solatium, quantamuis afflictionem, quan-

Bern. in med. c. 4.

Cypr. lib. 4. ep. 2. Sapien. 1. 13.

Luca 13.

Ambros. ad virg. lapsam c. 8.

tumuis laborem & indecorem subire esto contenta, dummodo ab aeternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans & mente retractans, proprii facti tu ipsa index esto crudelior.

III. Christi vita sanctissima nos ad pœnitentiam accendit: naville ad nostrorum peccatorum deletionem, tam dura & acerba pertulit, vt nos illa maxima mala esse cognoscentes, in consolabiliter lugeamus. De hoc incitamento Bernardus hæc ait: Age pœnitentiam. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præcepe clamat, hoc lacrymæ & vagitus euangelizant. Plorat quippe Christus, & non sicut ceteri solent. In aliis sensus, in Christo præualebat affectus: patiuntur illi, non agunt, nec ipsius adhuc vsûm voluntatis habentes. Illi ex passione lugent: Christus ex compassione. Illi iugum graue, quod est super filios Adæ: Christus filiorum Adæ peccata deplorat, & certè pro quibus nunc lacrymas fundit, postea fundet & sanguinem. Fratres, lacrymæ Christi & pudorem pariunt & dolorem. Hæc ille.

Aktiones pœnitentiæ sunt: I. Peccatum graue detestari, & leue abominari; illud, vt mortem animæ, istud, vt morbum animæ, & vtrumque, quia in suo genere est offensa Dei, & displicet Deo, peccatum scilicet lethale, vt Dei maiestatem planè in honorens, & in homine gratiam & charitatem destruens. Veniale verò, vt diuinæ legi non consonum, & ad gratiæ & charitatis destructionem disponens.

II. De peccatis magnis ac paruis dolere, non quidem quoniam eorum admissione pœnam aut infamiam incurrimus, sed quia summam maiestatem offendimus.

III. Nostram negligentiam detestari & deffere, qua multa bona, quæ facere poteramus, omisimus, & abundantem Dei gratiam nobis oblatam & frequentes eius inspirationes negleximus.

IV. Propositum firmû & stabile, nunquam grauitè peccandi concipere, immò & voluntatem nunquam scientes & volentes venialiter peccandi procurare. Adèd vt cum diuina gratia prius eligamus, omnes agitudines corporis, & omnem infamiam, & contumeliam sustinere, & vniuersas martyrum passionis, & ipsam mortem pati, & pœnis purgatorij, ac inferni nos subiicere, quam ex proposito in aliquod peccatum consentire.

V. Peccata sacerdoti confiteri: mortalia quidem omnia ex præcepto diuino, quoad species suas, & numerum, & circumstantias, mutantis speciem: venialia verò ex consilio, quatenus nostram cognitionem non effugiunt.

VI. Hanc peccatorum confessionem debito modo facere. Nam confessio debet esse integra, vt crimina omnia pandamus: pura, vt non coacti, non timore seruili percussi, sed libenter & propter Deum illa aperiamus: discreta, vt non solum externa peccata, sed etiam omissiones, internas cogitationes, praua desideria, morosas affectiones, distortas intentiones, iudicia temeraria, vanas suspensiones, mala exempla, & scandala aliorum dicamus: fidelis, vt omnia hæc taliter sacerdoti patefacere gestiamus, qualiter grauia & multiplicia sunt in conspectu Dei.

VII. Pro peccatis satisfacere orationibus, ieiuniis, elemosynis, & aliis corporis afflictionibus, & sensuum ac appetituum mortificatione, & tristitia, ac interna compunctione.

VIII. Pœnam pro peccatis assumptam culpæ commensurare, vt secundum grauitatem culpæ sit granitas pœnæ, secundum delectationem culpæ sit amaritudo pœnæ, secundum diurnitatem & multipliciter culpæ, sit diurnitas & multiplicitas pœ-

Bern. ser. 3. de Natiuit. Do mini.

A nax, iuxta illud: Facite fructus dignos pœnitentiæ. IX. Pœnam etiam, tanquam peccati medicinam, aptam cuiuslibet peccato, si possumus, exercere; ita vt pro superbia satisfaciatur humilitas; pro auaritia largitas, pro inuidia charitas, pro impudicitia corporalis aseptitas, & sic de reliquis.

X. Actio est, vt qui illicita commisimus, scæpe à licitis & concessis abstinemus, & nos indignos remissionibus innocentium putemus. Hæc ferè omnia Alberus.

Postulatio Pœnitentiæ: Domine Iesu Christe, legiflator maxime, qui legem Euangelicam illis verbis prædicare cepisti: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: excita nos ab imo peccatorum nostrorum voce virtutis tuæ, & animas nostras sedentes in tenebris, & hærentes in vmbra mortis, tuæ misericordiæ luce perfunde, vt malitiam peccati, acerbiter pœnæ commerita, pretiositatem gratiæ, & multiplicis virtutis amissæ, & magnitudinem tuæ maiestatis offensæ recogitemus, ac criminum delictorumque nostrorum exorbitantiam detestantes, de illis, super omnia mala quæ euenire nobis possent, & sine vlla intermissione doleamus. Misere, o Domine miserator & misericors, doloris amaritudinem dulcedine spei, de tua benignitate conceptæ, vt nec dolor immoderatè nos deprimat, nec spes præsumptuosè nos erigat, sed inter desperationem & præsumptionem incedentes, ad tuam nunc gratiam, & post hanc vitam ad tuam gloriam venire concedas. Amen.

De Pietate. §. IV.

Pietas, vt ex Tullio colligitur, est virtus, qua patriæ, parentibus, fratribus, & aliis sanguine coniunctis, cultum & officium tribuimus, Nomine cultus honorem & reuerentiã, nomine verò officij, obsequium, subuentio, & defensionem intelligimus. Quæ virtus non in parentibus carnalibus se continet, sed ad spirituales parentes, qui nos in Christo genuerunt, se extendit: immò erga illos pulchrius elucet. Qui etiam ex pietate filiis suis spiritualibus consulunt, & eorum profectum prouehunt, & bonam estimationem tuentur.

Incitamenta ad Pietatem sunt: I. Præcepti de pietate erga parentes obseruatio, magno præmio, non solum in alia vita, sed & in ista cumulata est. Hoc namque præceptum in Exodo sic profertur: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et in Deuteronomio. Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tẽpore, & bene sit tibi in terra. Quod sicut in filiis pietate florentibus vidimus esse completum: ita & nouimus filios impios erga parentes magnis calamitatibus fuisse multatos, & subita aut in felicimorte fuisse præceptos.

II. A bestiis, & pecudibus, rationis expertibus, ad pietatis officia mouemur. Hæ enim erga parentes ac filios suos aliquam habent pietatis imaginem, Adèd vt quibus natura denegauit rationem, inquit Chrysolomus, non denegauerit pietatem. Est autem profus à dignitate nostræ conditionis alienum, si bestias agri nostris moribus non superemus, & ab illis pietatis officio vincamur.

III. Christus Dominus, in crucem actus, & à sanctissima parente sua pietatis beneficio indigens, illustrissimum nobis pietatis dedit exemplum. Ille enim, qui & matrem habebat, & filium, nempe totum genus humanum, Ecclesia à se fundata conten-

Lucæ 3. 8.

Alber. in parad. anima c. 39. 40. 41. Math. 4. 17.

Tullius.

Exodi 20. 2.

Deut. 15. 16.

Chrysol. hom. de Abalam. To. 1.

ram,

Iuan. 19. 26. Iustin. de tribulati. Christi. gene. 18.

tum, discessurus ab illis secundum presentiam visibilem & corporalem, & iturus ad Patrem, quasi sui oblitus, & matris ac filij memor, utriusque solatium & officium ex singulari pietate reliquit. Nam dixit matri: *Mulier ecce filius tuus; & discipulo astanti, ecce mater tua.* Priora verba sic exponit Laurentius Iustinianus: Discipulum vero, quem diligo, praeteris tibi commendo in filium, ut quemadmodum comes, ita & integerrima virginis tuae sit custos. Obtemperabit tibi ut filius, & tu de illo sicut de me qualicumque fueris solatio. Dormiuit cum patribus suis Ioseph sponsus tuus nutritus mihi; Ascendam & ego ad Patrem, hostibus triumphatis. Quamobrem discipulus amborum in te supplebit vices. Postea vero sic: Praclarum etiam sciro in hac commendatione discipuli latere mysterium. Ipse namque typum gerit Ecclesiae, quae est immaculata & virgo. Hanc in persona discipuli tibi relinquo. Tu illam, tanquam me diligere, exhortationibus roborare, confirmare consilij, exemplis erudi, Posset equidem in hoc saeculi naufragio discrimine absque gubernatore, petire. Multae aduersus illum procellosae tempestates, persecutiones acerrimae, haereses diuersae concitandae sunt. In fide adhuc debilis est, minus fundata virtutibus, & infucta pugnae facillime succumbet, aut hostibus terga vertet, si duce priuata sese senserit. Ex meo ignominioso aut repentino exitu scio quod turbanda est. Tuis informationibus erigeretur, tua protectione solidabitur, atque ex presentia tua deperditas, si quae fuerint, recuperabit vires. Volo igitur ut illam de cetero in filiam habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam ad me perducas. Quis iam non videat, quanta sit virtus pietatis, cuius actionem saluator mundi cruce pendens tam praecleara actione commendauit, & tanta auditate compleuit?

Actioes Pietatis sunt: I. Parentes nostros, parentes agnoscere, in debita existimatione habere, & eorum sortem, etiam si abiecta fuerit & vilis, non erubescere.

II. Parentes nostros verbis & externis venerationis signis honorare, & ab omni eo, quod iuste eos contristare possit, abstinere.

III. Si indigeant, subsidia illis temporalia praestare, eos a quocumque periculo imminente defendere, & in occurrentibus necessitatibus subuenire.

IV. A parentibus allata in eommoda, illata conuitia, & admitta vitia senectutis patienter tolerare, & quae illis possunt verecundiam ingerere, sicut fecerunt duo filij Noe, qui patrem minus honeste dormientem operuerunt, prudenter obtegere. Has omnes pietatis actiones docuit Ecclesiasticus his verbis: *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione.*

V. Haec omnia officia suo modo filiis, fratribus, & aliis consanguineis data occasione praestare.

VI. Patriam, quae nos genuit, & aluit, pro nostra facultate tueri, in omnibus (prout datum nobis fuerit) nobilitare, & ad viam virtutis adducere.

VII. Patriam, parentes, fratres, & consanguineos, si aduersus Dei legem nos impellant, aut a via perfectionis retrahant, pro nihilo habere, & quos aduersarios in via Dei patimur, ut inquit Gregorius, omnino nescire. Hoc enim pietatis summum opus, quo, pro strictiori pietate in Deum, minorem in sanguine iunctos deserimus, mandauit Dominus illis verbis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem*

A suum, & matrem suam, &c. non potest meus esse discipulus.]

Postulatio Pietatis: Domine Iesu Christe, qui inter alia tuae perfectionis elogia, pius ab Apostolo & Euangelista tuo nominari voluisti, cum scripsit: *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia solus pius es?* da nobis viscera pietatis, ut patres & consanguineos nostros, quos dum iusta praecipunt, proximos nonimus, diligamus, & quos dum iniusta volunt, aduersarios experimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Amen.

De Observantia. §. V.

Observantia, ut ex Augustino colligitur, est virtus, qua maiores aetate, aut dignitate, aut sapientia, aut excellenti virtute, debito honore dignamur, aut officij indulgemus. Maiores aetate sunt senes; dignitate Principes & Praelati; sapientia doctiores & honorum litterarum studij faciliores; virtute, qui inter alios puritate, & vitae sanctimonia, & sanctis pro Dei gloria, & animarum salute sustentatis laboribus, amplius elucet.

Incitamenta ad obseruantiam sunt: I. Virtus haec, Spiritus sancti voce praecipitur: *Coram cano capite conserue, inquit, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum.* Er: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo.* Er: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Qui autem his vocibus resistit, manifestum est quia Dei ordinationi resistit.

II. Omnis reipublicae, & omnis congregationis bene gubernatae, haec summa cura est, ut inaequalitas sit honorum & locorum, & ut maioribus ac senioribus a cetero iuniorum deferatur. Quis autem sua inuerecundia & procacitate audeat tot sapientissimorum hominum, qui reipublicas & congregationes fundarunt, & gubernarunt, iudicio & sententiae contra ire? Certè quidem Bernardus haec ait: *Dara est haec pueris & adolescentibus humilitatis, & reuerentiae forma, ut in medio seniorum taceant, ut audiant, interrogent, & discant.* Et Basilius: *Coram natu maiore, quam tu, caue ne assidere festines, quod si ut id facias, inbeare, nolito tu in pari cum illo sella sedere, sed cum huc illucque diligenter oculis circumspexeris, operam sedulo da, ut sellam tibi humiliores aliquam inuenias; ut ob istam animi tui humilem submissionem gloria te afficiat Deus.*

III. Qui obseruantiae obliuiscuntur, sunt homines stulti & superbi, quos Dominus in hac vita duplici modo castigat. Primò quidem, ut quia maioribus & senioribus non obtemperant, mille erroribus implicentur. Secundò vero, ut maiores aetate aut dignitate facti, a minoribus contemnuntur.

Actioes Obseruantiae sunt: I. Maiorum & seniorum conuenientem interius existimationem habere, eosque animo ex interna reuerentia suspicere.

II. Venientibus illis assurgere, caput aperire aut inclinare, honoratiorem locum ad sedendum concedere, in deambulando dextrum illis locum dare, & nulla signa reuerentiae consueta pro more patriae aut congregationis praeterire.

III. Coram illis tacere, aut si loquendum sit, non docendo, sed interrogando & discendo loqui: quod si docendum coram illis sit, non illos, ut discipulos, sed ut iudices eorum quae docemus, respicere.

IV. Eorum dicta, sapientia plena, modestè celebrare, illorum sententias venerari, & no-

Apo. 15. 9.

Aug. lib. 33. q. 9. 31.

Leuit. 19. 32.

Rom. 13. 1.

1. Tim. 5. 17.

Bern. ser. in Domini. fra. O. Sa. Epiphani. Basil. ser. de abdicat. reru.

Gen. 9.

Ecl. 3. 14.

Gregor. hom. 17. in Euag.

Luce 14. 26.



stis subtilitatibus anteferre.

V. Si ab illorum sententia in speculatiuis aut practicis discedendum sit, ob manifestam in contrarium rationem, non nisi reuerenter, & quasi compulsi, & cum dolore dissentire.

1. Tim. 5. 1.

VI. Eos, si deliquerint, nequaquam duriter increpare, sed iuxta consilium Pauli, [vt patres obsecrare,] & amicaliter admonere.

VII. Iuuenum procacissimorum, qui maiores subannant, & de illis detrahunt, stultitiam compefcere, & nequaquam eorum errorem sine debita increpatione præterire.

Postulatio obseruantia: Domine Iesu Christe, qui Verbum Patris cum sis, homo tamen factus, matri Mariæ & nutricio Ioseph mirabiliter detulisti, & Sacerdotes illius antiquæ legis, & Doctores, ac Scribas semper honore affecisti, & honorari mandasti: fac nos, quæsumus, imitatores tui, vt maioribus nostris semper non ex adulatione, sed ex obseruantia deferamus, eosque pro dignitate sua in re, & propter te obseruantissimè veneremur.

De Obedientia. §. VI.

Bonauent. To. 1. in centiloquio 3. p. scilicet 44.

Obedientia est virtus, qua exequimur iussa & præcepta maiorum, quia præcepta sunt. Quam quadrupliciter Bonauentura describit: Obedientia, inquit, est voluntas faciendi præceptum vel mandatum superiorum: Vel obtemperatio, secundum regulam sacræ scripturæ, maioribus quibuscumque debita. Vel est spontaneum, & rationale propriæ voluntatis sacrificium. Vel est pio studio propriæ voluntatis abnegatio.

Psal. 143. 6.

Incitamenta ad obedientiam sunt: I. Omnes creature nos obedientiam docent, quæ sine vlla contradictione & cum summa perfectione creatori obediunt. De quibus dicitur: Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit. [Et: Quoniam venti & mare obediunt ei.] Vnde dicunt homini, ex innocentia in peccatum lapsos, vt contemplatur Laurentius Iustinianus: Si vis esse quod fuisti, discce famulari creatori, vti facere conspicis nos.

Iustin. in ligno vite de obedient. c. 2.

Hebr. 1. 14. Psal. 103. 4.

II. Angeli nos ad obedientiam prouocant: Nam de illis inquit Paulus: Omnes sunt administratorij spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. [Et Dauid: Qui facis Angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem vrentem:] Quare si spiritus cælestes imitari gestimus, necesse est vt ministri seu nuntij Dei simus (hoc enim significat nomen Angelus) & obedientiæ efficacitate ignis naturam præferamus.

Phil. 2. 8.

Hebr. 5. 9.

III. Christus Saluator noster ad obedientiam nos accendit: Qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; [quique obedientibus sibi in Prælatiis à se constitutis æternam salutem promittit: Nam cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.]

Actiones Obedientiæ sunt: I. Exequi quod iustum est à Prælatiis, si manifestè malum non sit, velociter, viriliter, humiliter, & indefinenter.

II. Aduersus affectus nostros, & cordis inclinationes obtemperare, sicut fecit Abraham, dum decreuit filium suum (natura repugnante) Deo in holocaustum offerre.

III. Voluntatem nostram abnegare, & libenter ac hilariter iussa aggredi, ac liberum mentis arbitrium voluntati præcipientis subiicere.

A

IV. Iudicium ac sensum nostrum cohibere, & adhibitis rationibus, quæ præceptum superioris conueniens esse probent, nostram sententiam illius sententiæ submittere.

V. Si duriter, si stultè, si verbis contumeliosis, si absque spe alicuius gratitudinis, ad res arduas ac difficiles faciendas mittamur, libenter parere.

VI. Non tantum superiorum bonorum, sed etiam malorum, dummodo mala non iubeant, præcepta diligenter implere. Iuxta illud Petri: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.]

1. Petr. 2. 18.

VII. Sine vlla excusatione iussa facere, & nec verbo, nec scripto (licet id prohibitum non sit) quicquam proponere; sed iuxta illud: Audi Israël, & tace quod iustum fuerit, ad executionem prouehere.

VIII. Etiam si superior nihil iubeat, eius se voluntati accomodare, & indicia suæ voluntatis exequi.

IX. Indifferentem se ad omnia præbere, & quantum est ex se, nihil de se ordinare, nihilque nisi quod superior voluerit, concupiscere.

X. Cum maiore auiditate in difficilium atque ignobilium munerum, quam in eorum, ad quæ natura pronâ est, & quæ apud homines splendent, occupationem incumbere.

Postulatio Obedientiæ: Domine Iesu Christe, cuius sanctissima vita perpetua obedientia fuit, qui ex obedientia natus, & ex obedientia passus, & mortuus fuisti, & omnem conuersationem tuam obedientiæ pulchritudine decorasti: Fac nos, quæsumus, veros obedientiæ amatores, & proprii iudicij ac voluntatis contemptores, vt obedientia eos saluet, & in cælum euehat, quos inobedientia damnauit. Amen.

De hac præstantissima virtute ex professo dicemus inferius.

lib. 10. p. 3. per totam.

De Gratitude. §. VII.

Gratitudo est virtus, qua beneficia, à proximis accepta, cognoscimus, laudamus, & data opportunitate, nec negata possibilitate, remunerare decernimus. Hæc comparata ad beneficia Dei non distinguitur à religione; & ideo inter actiones religionis retulimus gratias agere Deo pro donis acceptis, & accipiendis ab eo. Et de hac ad Deum gratitudine fusiùs postea sumus acturi.

D

Incitamenta ad Gratitude sunt: I. Ingratitudo est peccatum, etiam apud homines abominabile, quo homines viles & abiecti notantur, & ex illo, tanquam ex signo aperto vilitatis, ab omnibus cognoscuntur. Habet quoque pessimam originem, nempe proprium amorem, animæ nimium dominantem. Vnde Apostolus cum dixisset: Erunt homines se ipsos amantes, addit, [ingrati, scelesti.] A Deo denique punitur grauissimè. Quod significat Salomon dicens: Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.]

2. ad Tim. 3. 2. Prov. 17. 13.

II. Gratitudo ad maiora beneficia recipienda animum parat, omnes enim volunt semina suorum bonorum bonæ terræ mandare, id est, homini grato committere. Et Laurentius Iustinianus ait: Nul- lum officium referenda gratia magis necessarium, quia maiora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Quare & propter priu- tam vtilitatem, quæ (vt Chrysostomus ait) in gratitu- dine est maxima, deberemus hanc virtutem sectari.

Iustin. de ligno vi- te de o- bed. c. 7.

Chryso- st. hom. 72. ad popu- lum.

III. Gratitudo ad homines, etiam apud Deum in pretio est: vult enim ipse, vt ei grati simus, & homi- nibus etiam, per quos nobis beneficia confert, animi

gratitudo

gratitudinem habeamus. Vult quidem ille, vt homines in dignitate constitutos, quorum ministerio nos gubernat, honoremus, & honorem illis exhibitum aut negatum, sibi dari aut negari profuturum, dicens: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et etiam iubet, vt eis quorum liberalitate nobis beneficia confert, gratitudinis affectu repensemus. Quamobrem in Ecclesiastico recensens abominabilia peccata fornicatoris, vnum eorum est, quod [pro honore & beneficio, reddet contumeliam.]

Actiones gratitudinis sunt: I. Beneficium non negare, non dissimulare, non oblitisci, sed illud agnoscere, & illud magnificare, & in memoria habere.

II. Beneficium & beneficentem laudare, & suscipere, & coram aliis, quid in nos boni contulerit, cum opportunum fuerit existimatum, publicare.

III. Erga benefactorem affectum amoris & estimationis beneficij concipere, & eidem beneficiorum datori gratias agere.

IV. Beneficium honore & reuerentia erga benefactorem, & non solum æqualibus, verum & maioribus beneficiis, si potuerimus, repensare.

V. Sine vlla spe alterius beneficij recipiendi, gratos & beneficos in benefactores existere.

Postulatio gratitudinis: Domine Iesu Christe, qui quantum tibi ingratitude displiceret, illa querimonia de leprosis à te curatis, nec ad gratias referendas redeuntibus, ostendisti: verba enim tua sunt: Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena: da nobis, rogamus supplices, gratitudinis erga nostros benefactores affectum, quos ita in nos beneficos agnoscamus, & veneremur, vt præcipue te omnium bonorum fontem ardentissime diligamus, Amen.

De Veritate. §. VIII.

Veritas siue veracitas, est virtus, qua verbis, aut signis, & quando & quomodo oportet, manifestamus res, ad nos aut ad alios pertinentes, vt verum se sunt. Non sufficit ad virtutem veritatis, vt verum dicamus, sed necesse est, vt verum debitis circumstantiis vestitum dicamus. Nec enim omnia vera dicenda sunt, sed aliqua, quæ damnum afferre possunt, omnino reticenda; alia verò, quæ nunc non proderunt, conuenienti temporis referenda. Albertus aliter definit, dicens: Veritas est quando verè concordant mens, & lingua, & opera, vt quod sentit quis in corde, hoc profert ore, & perficit opere.

Incitamenta ad veritatem sunt: I. Tam chara Deo est veritas, vt Deus veritatis voluerit ab omnibus appellari. Redemisti me Domine, inquit Dauid, Deus veritatis. Et de Christo Ioannes: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: plenum gratiæ & veritatis. Et de Spiritu Sancto: Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Filius etiam Dei Christus Iesus in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati, quam qui non amauerit, non potest non toti Trinitati aduersari.

II. Mendaces à conuictu humano repelluntur, & infames habentur, neque sunt qui illis fidem adhibeant, quos semel noverunt fuisse mentitos. Contra verò veritas amabilis & honorabilis est, quæ in confessione quoque propriorum delictorum apud iudices beneuolentiam nobis conciliat, & hominum veracium honore nobilitat.

III. Nihil est, vt inquit Gregorius, ad defen-

dendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum quis falsitatem suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. Hinc namque scriptum est: Labor laborum suorum operiet eos. Qui enim nunc implet, tunc operiet, quia cuius nunc animum per blandam inquietudinem exierit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Ieremiam dicitur: Docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. Ac si aperè diceretur: Qui amici veritatis esse poterunt sine labore, vt peccent, laborant, cumque viuere simpliciter renuunt, laboribus exigunt, vt moriantur.

Actiones Veritatis sunt: I. Mendacium & simulationem ore fugere, & corde detestari.

II. Quando, & quomodo, & vbi oportet, verum dicere.

III. Verum etiam si mens nostra doleat, & repugnet, si id necessarium & Deo placitum sit, non reticere.

IV. Nunquam verum obtegere aut palliare, nec pro fauore alicuius, nec pro vtilitate propria, nec pro aliquo detrimento vitando, si illud dicere teneamur.

V. Ambiguitates verborum & ambages in conuersatione vitare, & res prout sunt, simpliciter ore profere.

VI. Mysteria cœlestia aptis ad excipiendum patefacere; ab impuris verò & indignis abscondere, secundum illud: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.

VII. Promissa seruare, nisi iusta causa non seruandi, aut in melius mutandi, intercedat. Hac enim posita ad veritatem pertinet à promissis abstinere, iuxta illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.

Postulatio veritatis: Domine Iesu Christe, qui veritas es; nam Ioannes Apostolus tuus ait: Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas, cuiusque pulchritudo in omni veritate creata, tanquam in imagine, luget: fac nos per misericordiam tuam omnis mendacij hostes & veritatis amatores, vt eam debito tempore & modo profereamus, in ipsa te, increatam veritatem quæramus, Amen.

De Simplicitate. §. IX.

Simplicitas, est virtus, qua quis hypocrisim, duplicitatem, & multipliciter vitat: seu qua exterius talem se verbis & factis exhibet, qualis interius est, & qua ab omni astutia, & dolo, & fraude, & non necessaria actionum multitudine, alienus est. Bernardus sic describit simplicitatem: Est perfecte ad Deum conuersa voluntas, vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in sæculo: vel est in conuersatione vera humilitas, scilicet virtutis magis conscientiam amplectens, quam famam, cum non refugit vir simplex videri stultus in sæculo, cum sit sapiens in Deo.

Incitamenta ad simplicitatem sunt: I. Ad vitæ simplicitatem inducit, quod qui alij quàm sint, se esse simulant, & cum sint mali aut imperfecti, boni & perfecti per hypocrisim videri volunt, in nouissimo die magnam sustinebunt erubescenciam, & apud omnes homines & Angelos, de stulta simulatione, & detestabili superbia, & hypocrisis, qua alios decipere curabāt, arguentur. Ad quod optime inquit Basilius: Qui externa quadam simulatione & per fucum gloriam aucupabantur ab hominibus, post occultorum

Greg. 3 p. Pastor. ad mon. 12.

Psal. 139. 10.

Ierem. 9. 5.

I. Ioan. 5. 6.

Bern. in epist. ad frat. de mon. Dei.

Basil. ad c. 1. 1. 1. 1.

Ecc. 19. 9.

Luce 17. 18.

Alber. in paradiso amma. c. 18.

Psal. 30. 6. Ioan. 1. 14.

Ioan. 15. 26. Matth.

manifestationem, cum fuerint omnia nuda & aperta, nec iam vlla in obscuro delituerit creatura, praebeunt tunc tales deformissimum spectaculum, euanescente, quae nunc citra eos versatur, fallaci impostura, ita vt per se merito comparentur quercui.] Hae ille. Dicuntur autem similes quercui, quia haec arbor detractis foliis praeter ceteris deformissima apparet.

II. Ad simplicitatem operum inducit, quod duplex opere, qui scilicet vult bonis simul & malis operibus vacare, Deo est abominabilis. E contra vero simplex, id est, qui bona solum opera sectatur, ad Deo charus est, vt illum non in quancumque amicitiam, sed plane in intimam familiaritatem admittat. Quod perspicue fatetur Salomon in Prouerbiis dicens: Quia abominatio Domini omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.] Quem locum interpretans Gregorius, inquit: Cum simplicibus sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis, illorum mentes radio suae visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicis obsecrat.

III. Ad simplicitatem intentionum mouet, quod Dominus vult seruos suos paucis, id est, necessariis, occupari, & in illis vnum tantum, id est, suam gloriam intendere. Quare Martham erga multa occupatam reprehendit, dicens: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium.] Hoc vnum querendum est, quia est summum bonum, in quo continentur omnia bona aeterna & immensa. Ad hoc autem bonum inueniendum, non est necessarium per multa, id est, per inutilia, vagari, sed tantum vtilibus seu necessariis intendere.

Aktionen simplicitatis sunt: I. Quales omnes sumus, tales nos verbis & factis exhibere, nec sanctitatem aut perfectionem, quam non habemus, effingere.

II. Spirituali magistro omnia interiora, tum bona, tum mala, sine vilo fuce, vt dirigamur, aperire.

III. Si de rebus spiritualibus, quas nondum experti sumus, loquendum sit, syncerè (ne supra quam sumus, habeamur,) nostrum defectum, & nullam, aut modicam experientiam fateri.

IV. Bonis tantum operibus vacare, nec mala illis admiscere: nullius facta peruertere, nullius bona deprauare, nullius dona diminueri, neminem laedere, & omnibus velle proficere.

V. De Domino ac de seruis eius in bonitate sentire, & sicut exterius bona omnibus cupere profiteri; ita bona illis interius desiderare & concupiscere.

VI. Operum inutilium multipliciter vitare, & bona opera in vnam simplicem placendi Deo intentionem colligere.

Postulatio simplicitatis: Domine Iesu Christe simplicium, & humilium amator, qui dixisti: Sinite paruulos, id est, simplices & puros more infantium, venire ad me, talium est enim regnum caelorum: fac nos per bonitatem tuam prudentia senes, & simplicitate & vitae munditia paruulos, vt regnum tuum in caelis positum, quod solos incoquinatos recipit, libenter excipiat. Amen.

De Amicitia. S. X.

Amicitia, est mutua duorum benevolentia, in virtute fundata, & bonorum communicatione coniuncta. Vel, vt Bernardus ait: Vera amicitia est, quae nihil ex rebus amici quarit, nisi solam benevolentiam, scilicet vt gratis amet aman-

Prou. 3.
32.
Gregor. 3.
Pastor.
admon.
12.

Luc. 10.
41. 42.

Matth.
19. 14.

Bern. ser.
3. ad. Se.
rorum.

tem se. Amicitia pars est affabilitas, siue comitas, qua quis, vt Thomas Aquinas ait, conuenienter se habet ad alios homines in communi conuersatione, tum in dictis, tum in factis. Est, inquam, virtus, qua homo decenter, comiter, & suauiter se habet cum illis, quibuscumque viuere & conuersatur. Itaque amicitiam virtuti subnixam, virtutem ponimus; amicitiam vero in bonis temporalibus, aut naturalibus, ac in sanguinis coniunctione fundatam, tanquam rem indifferentem, a ratione virtutis reiciimus.

Incentamenta ad amicitiam sunt: I. Amicitia spiritualis, Christi & Apostolorum exemplo probata est. Ille enim dixit Apostolis suis: Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audiui a Patre meo, nota feci vobis.] Paulus etiam quosdam in epistola ad Romanos vocat dilectos, siue dilectissimos sibi. Item alios, ad quos scribit, vocat charissimos. Et rursus: Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic state in Domino charissimi.] Quae omnia magnam amicitiam sonant comitem charitatis & manantem ex fonte virtutis. Alij quoque Apostoli, vt ex illorum gestis constat, socios habuerunt, quibuscumque amabilissime conuersarunt. Non est ergo contrarium vitae Apostolicae & desiderio perfectionis, amicos fideles habere, quorum ope ad caelestia promoueamur.

II. Amicitia est imago quaedam patriae caelestis, in qua Angeli mutuo se diligunt, & dulcissime ac suauissime conuersantur. Vnde Chrysostomus de caelo eam descendisse autumat: Spiritus amicitia, inquit, omnes reliquas excellit, tanquam regina, dominium suorum habens, splendido habitu conspicua: nihil enim hic terrenum est vnde ista nascatur, quemadmodum in aliis: non enim ex consuetudine nascitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed est supernis descendit & ex ipso caelo.

III. Amicitia spiritualis, vtilissima est simul & suauissima: vtilissima quidem; quoniam ab amico fideli habemus in dubietate consilium, in afflictione refrigerium, in maestitia solatium. Ipse nobis, in necessitate temporalis positus, subuenit, & in spirituali indigentia ac molestia succurrit. Quare Ecclesiasticus: Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inuenient illum.] Est etiam haec amicitia suauissima, quoniam maxime cognata naturae hominis, qui est animal societatem amans, quem mutuos amor & benevolentia delectat. Amicitia, inquit Ambrosius, est solatium vitae huius, vt habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris, vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tribus compariatur, in persecutionibus adhorretur.

Aktionen amicitiae sunt: I. Amicos perfectos eligere, ex quorum conuersatione spirituali profectum accipiamus: vel studiosos, quibus in Domino prodesse possimus.

II. Amicos non propter aliquam commoditatem, nec propter voluptatem, etiam honestam, ex eorum suauis & discreta conuersatione prouenientem, amare, sed propter virtutes in eis elucens diligere.

III. Cum amicis, quando & quomodo oportet, de

rebus

D. Tho.
2. 2. q. 114.
ar. 1.

Ioan. 15.
15.

Rem. 16.

Philip. 4.
1.

Chryso.
hom. 1. in
epist. ad
Colossim.

Eccle. 6.
14. 15.
16.

Ami. lib.
7. officior.
ca. 16.

rebus spiritualibus conuersari, & ne alij offendantur, aut scandalizentur, debitam in conuersando mensuram tenere.

IV. Amicis, si capaces sunt, arcana nostra communicare, & ab illis consilium & directionem exquirere.

V. Amicorum defectus patienter ferre, non nunquam dissimulare, & si spes emendationis affulgeat, blandè corrigere.

VI. Tempore aduersitatis amicos maximè complecti, tempore prosperitatis adgaudere illis & congratulari, & si excedant, bonis consiliis immoderatam eorum lætitiã reprimere.

VII. Nihil ab amicis turpe, nihil iniustum, nihil minùs honestum, minùs perfectum deprecere, sed sola honesta, sancta, & virique conuenientia, flagitare.

VIII. In omnibus, data nobis facultate, amicos iuuare, & ab eis libenter, cum obtulerint, in nostris necessitatibus adiutorium accipere.

IX. Idem velle, idem nolle, & si aliquando iudicia differant, nunquam voluntate disiungi.

X. In absentia se mutuò defendere, bonam adinuicem existimationem tueri, non tamen in hac defensione metas veritatis & regulas prudentiæ præterire.

XI. In communi conuersatione cum illis decorum seruare, & omnem leuitatem & scurrilitatem reicere.

XII. Ita amicitiam temperare, vt sensum ad immoderantiam non veniat, & dum alios offendit, & nos in vanam amicorum memoriam distrahit, profectui mentis officiat.

Postulatio amicitia: Domine Iesu Christe, qui nos vt ex inimicis amicos faceres, & æterno Patri tuo reconciliare, & cælis ad terram descendisti, & non semel ad mutuum amorem & benevolentiam adhortatus es; in sepe pectoribus nostris spiritualem amicitiam; charitatis filiam, & iustitiæ comitem fidelissimam; vt qui vitam nostram tibi deuouimus, affabiliter & amicè inter nos coniuuantes, spiritu & virtute proficiamus. Amen.

De Liberalitate. §. XI.

Liberalitas, est virtus, qua homo immoderatum amorem pecuniarum & aliorum bonorum suorum moderatur, eaque alacriter in propriam ac proximorum vtilitatem, atque in his quæ honoris Dei sunt, aliis elargitur. Alio nomine hæc virtus dicitur largitas, quoniam non ad præcisam necessitatem & miseriam subleuandã, sed ad vtilitatem ingerendam, res temporales largiùs & affluentius infumuntur.

Inciumenta ad liberalitatem sunt: I. Ipse Deus, cuius nos imagines sumus, & virtutes ac perfectiones imitari cupimus. Ipse enim est, qui dat omnibus affluentius, & non imptoperat: Quique, vt inquit Albertus, tam continuè dat omnibus sua dona temporalia & spiritualia, etiam non perentibus, & super omnia, carnem & sanguinem dilectissimi Filij sui. Nec sufficit ei, dona sua dare simpliciter, nisi etiam seipsum immensum det in singulis donis. Commendat largitatè suam, quòd nulli negat dona sua, quantumcumque sibi aduersetur, immò pluries in nocte & in die dona sua elargitur cuiilibet, quamquam à quoquam offendatur. Approbat in hoc largitatem suam, quòd quandocumque inuenit opportunitatem aliquam in recipiente, statim ab effluxione spiritualium donorum nequaquam se potest continere, licet ex sapientia diuina prænoscat, quòd recipiens

A illa dona, in proximo debet amittere, velea continuò deturpare, vel ipsum per eadem impugnare.

II. Nos dispensatores bonorum sumus, non domini: bona, quæ distribuimus, non nostra sunt, sed aliena. Iustum est autem, si dispensator largiter iuxta voluntatem Domini bona dispenset, & facile, si bona aliena, de quorum dispensatione præmium accepturus est, non auarè, non strictè, sed affluentius in proximos erogat. Eòque, & diuitibus, Væ, inquit Basilus, quia cum præualeant subleuare inopiam pauperum, indultarum sibi opum potentia non sunt vti, ad quod acceperunt eas.

III. Diuitia, & bona temporalia sunt talenta, nobis à Domino commendata, quæ ad salutem & laudem abundanter distribuimus; ad damnationem verò & vituperium auarè retinemus. De quo Gregorius sic ait: Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuiilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum acceperit. Alius namque acceperit intelligentiam prædicationis, ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam acceperit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam acceperit, sed tamen didicit artem, qua pascitur; ipsa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum assequutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud diuitem meruit, talentum profectò familiaritatis acceperit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem, qua regitur, magnopere studeat, vt vsum atque vtilitatem illius cum proximo patriatur. Habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si cum valet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Talentum quippe ab vnoquoque nostrum venturus iudex exigit, quantum dedit.

Actiones liberalitatis sunt: I. Pecunias & alia bona temporalia, in propriam necessitatem, in proximorum vtilitatem, & in Dei honorem libenter infumere.

II. Quæ nobis pro Christo pauperibus ad vsum concessa sunt, sine tædio aliis commodare, & libris ac aliis similibus fratrum vtilitatibus inferuire.

III. Bona altiora, nempe doctrinam, consilium, & exemplum, dispertire, & talentis, quæ nobis concessa sunt, aliis prodesse.

IV. Aures audiendis confessionibus, os prædicandæ Euangelicæ doctrinæ, manus infirmiorum adiutorio, & reliquas vires proximorum vtilitatibus applicare.

V. Inuitis, absentibus, & ignorantibus subsidia bonorum temporalium dare, vt fecit sanctus Nicolaus Episcopus, dorans filias nobilis & inopis: & adiumenta orationum elargiri.

VI. Temporis spatia bono proximorum offerre, & à nostris commodis vanisque occupationibus præcipere.

VII. Diem illum in quo aut actione aut oratione non fuimus viles proximis, & Ecclesiæ Dei malè insumptum reputare, ac de nostra ignaui tristitiam accipere.

VIII. Nec ita temporalia dare, vt prodigè & insipienter infumantur: nec ita talentis spiritualibus

Basil. ad
c. i. i. a. i.

Gregor.
hom. 9. in
Euang.

Alber. in
par. ad. a.
mona. ca.
17.

prodesset, ut mentis nostrae virtutes ac profectus attenuentur.

Postulatio liberalitatis: Domine Iesu Christe, qui es potentissimus Rex, summè magnificus & liberalis in dando, nam cum vno gemitu aut vna gutta sanguinis nos redimere potuisses, innumerabilibus tamen gemitibus & lacrymis nos redemisti, & infinitis meritis ac totius sanguinis tui effusione à peccato liberaisti: doce nos, quæsumus, in tuo obsequio largos esse, & erga fratres nostros liberales, ut in hac vita largitatis tuæ donis cumulemur, & in futura largam eximiae gloriæ benedictionem accipiamus. Amen.

De Virtute Fortitudinis.

GAPVT VIII.

VIRTUS Fortitudinis appetitum irascibilem moderatur, sicut prudentia intellectum in moralibus perficit, & iustitia voluntatem in ordine ad alios rectam efficit. Et autem septem alia virtutes annectuntur, quæ passiones irascibiles cohibent. Hæ autem sunt: Magnanimitas, Magnificencia, Patientia, Longanimitas, Perseuerantia, Constantia, Securitas: Quæ omnes, sicut ipsa Fortitudo, ita appetitum irascibilem afficiunt, ut etiam voluntatem exornent, in qua sunt præcipui earum actus. De his igitur nunc suo ordine agendum est.

De Fortitudine. §. I.

Fortitudo, est virtus moralis, voluntatem ac appetitum irascibilem afficiens, quæ homo erga acerba & terribilia rectè se habet, ita ut neque præuè timendo, in malum cadat, neque temerè audendo, ab officio rationi consentaneo desciscat. Vel breuius: Est virtus animi, quæ labores mortisque pericula constanter suscipiuntur, & perseuerantur. Cuius duo sunt generalia officia, in actiones, quæ statim dicuntur, distincta. Alterum est & præcipuum, labores & pericula sustinere ac pati. Alterum verò, eadem pericula & labores, cum oportet, adire & aggredi.

Incitamenta ad Fortitudinem sunt: I. Fortitudo inter alia comparatur à Bonauentura radici arboris: Nam sicut radix in arbore sustinet truncum, frondes, & flores, fructus, & folia; ita Fortitudo sustinet omnes alias virtutes, & earum actiones, & merita. Quamobrem, qui non vult ista perdere, & periculo direptionis exponere, debet per fortitudinem contra hostes armari: Fratres mihi dilecti, inquit Paulus, estote stabiles & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper. Ac si diceret: si per fortitudinem, stabilitatem & immobilitatem non habeatis in bono, nequaquam poteritis bonis operibus abundare.

II. Hæc virtus in infimo homine tantum præcipuum est, ut Deus ipse velit nostra fortitudo nuncupari. Ipse enim auctor est nostræ fortitudinis, qui dum nos inuictos facit & aduersus animæ hostes insuperabiles, maximè glorificatur in nobis. Sed hæc animi fortitudo, ait Prosper, ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deiciant.

A Et tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari.

III. Hæc virtute, bona quæ nondum adepti sumus, assequimur, & dona iam parta seruamus. Nam & ardua ac difficilia audet, ut spirituales diuitias auget, & dura ac molesta sustinet, ut comparatas afferret. Hæc non [timet eos, qui occidunt corpus,] iuxta mandatum Domini, & [timet Dominum, qui animam potest in gehennam mittere.] Et dum eum, qui dignus est timeri, timeret, & reliqua, ut imbecillia, contemnit, salutem suo possessori conquirat.

B Actiones fortitudinis sunt: I. Pericula mortis, & ipsam mortem iam irruentem, ex quacumque causa proueniat, sine deiectione animi sustinere. Et præcipuè illam, quæ causa fidei infligitur, & martyrium est, animosè suscipere.

II. Quælibet alia pericula euentuum molestorum, acerborum, & terribilium, quæ in hac vita accidunt, maximè propter defensionem cuiusque virtutis, tolerare.

III. Mentem confortare in aduersis quibuscumque, ne terreatur, & in prosperis, ne mulceatur, & à recto virtutis tramite ad dexteram vel ad sinistram deuiet.

IV. Roborare animum, ut semper exerceatur in bonis, licet multa impedimenta operibus bonis obstant, & ne vquam vincatur in malis.

V. Tentationes & insultus demonis ferre, & reuicere, ac propter illa à præceptis diuinis & consiliis Euangelicis nequaquam dimoueri.

C VI. Ardua quæque & difficilia, ad comparandam perfectam virtutem, aggredi, & in Deo nos adiuuante confidere.

VII. Mentis tranquillitatem in aduersis conseruare, & in mediis molestis ac tribulationibus, lætitia & iucunditate perfundi; secundum illud Pauli: Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.]

VIII. Pericula & molestias, quæ omnino vires nostras excedunt, sine anxietate vitare, & nos, si abque ignominia poterimus, ab illis in opportunitorem commoditatem custodire.

Postulatio Fortitudinis: Domine Iesu Christe, Leo fortissime de tribu Iuda, qui de sinu Paris exiisti, vincens peccata nostra, ut vinceres mortem, & infernum dissipares: corrobora mentes nostras virtute fortitudinis, ut propter te aduersa & molesta animosè sustineamus, & ardua ac difficilia, propter tuam gloriam & laudem, aggrediamur. Pelle, ô Domine, rogamus supplices, à cordibus nostris noxiam timiditatem, qua solemus non timenda timere, & omnem intimiditatem, qua consueuimus ea quæ timenda essent, non trepidare. Temerariam etiam audaciam comprime, quæ aliquid supra vires à te concessas adormur, ut in medio huius virtutis positi, secundum quod tibi placet, in studiosis operibus strenuè & fortiter nos geramus. Amen.

De Magnanimitate. §. II.

E **M**agnanimitas, est virtus, quæ magna opera & eximio honore dignissima propter finem virtutis aggredimur, ipsum verò honorem nobis denegatum non ambimus, & oblatum contemnimus. Ita quidem magni Ecclesiæ doctores, Thomas & Bonauentura, huius virtutis naturam exposuerunt, & ex parte Philosophi definitionem cortexerunt. Qui fidei luce carens, & sui oblitus, (nam alio loco vere

Bonaui. in dicta salutis, tit. 5. c. 7.

1. Cor. 15. 58.

Proff. lib. 1. de vita contem. c. 20.

Math. 10. 28.

D. Tho. 2. 2. q. 129. art. 3. ad 3.

Bonaui. in sum. Eccl. 10. 1. q. 11. art. 1.

docuit

docuit honorem propter seipsum non esse quaerendum) plus amoris honoris tribuit, quam Christiana veritas patitur, & quam ipse honor (qui virtutem sequitur, sicut delectatio sumptionem cibi) mereatur.

Incitamenta ad Magnanimitatem sunt: I. Magnitudo Dei, cuius nos seruos profitemur & filios, ac imitatores esse cupimus. Ipse enim magnus est: Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis.] Et, Magnus amor eius, quo filium suum nobis in redemptorem dedit, & spiritum suum cordibus nostris immisit. Et, Magna virtus eius, quia fecit nobis magna, qui potens est. Et magnum donum eius: Nam redemit de interitu vitam nostram, & coronat nos in misericordia & miserationibus, & complacuit ei parare nobis regnum. Ita ut possimus singulis momentis dicere: Quod magna est misericordia eius super nos. Quis ergo non videat, huius magni regis famulos, amicos, & filios magnos esse debere, qui que magna pro ipso audeant, & omnem seculi honorem, qui, ut ait Augustinus, nullus est ponderis fumus, animosè contemnunt?

II. Magnis operibus magna premia promissa sunt. Nam qui mnâ, quam acceperat, lucratus est quinque mnas, praeficitur quinque ciuitatibus; qui verò decem mnas acquisiuit, laudatur vehementer, & cumulatissimum premium recipit. Audit enim: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.] Magna ergo promittit, inquit Gregorius, qui magna praecipiendo docuit, ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris.

III. Magnarum actionum sectatoribus, non tantum in alta vita Dominus magna premia decernit, sed etiam in hac vita miris donis augere solet. Huiusmodi sunt: Mentis puritas, diuinarum consolationum affluentia, in rebus arduis iniecta fiducia, in morte securitas, citus ad caelum transitus, nullus aut modicus ad purgatorij flammam accessus. Egrege profectò Gregorius ait: Magnum est soli Domino seruire, videlicet instanter bona agere, bonis actibus reprobam non miscere: sed hoc quam maximum, in huius vitae transitu potestatem creutorum spirituum non incurere. Nullas in via horribilitates cernere, contrarietates obiectionum nullas inuenire, aeternas penas euadere, liberatoris nostri praefidia sentire, momentaneam seculi lucem perdere, sed tepentè ineffabilem claritatem aeternitatis inuenire.] Hæc ille.

Actiones Magnanimitatis sunt: I. In omni mortificationis genere atque virtutis, non mediocribus contentos esse; sed cum Dei gratia ad supremum gradum anhelare, & quoad fieri possit, maximas & excellentissimas actiones praestare.

II. Homines etiam suprema dignitate fulgentes, & eorum magnificas promissiones, & minas terribiles, si ad aliquid virtutis contrarium compellant, animosè contemnere.

III. Impedimentis, & obstaculis non frangi, quæ se praestantissimis actionibus virtutis opponunt, sed ea fortiter superare.

IV. Post magnam cum Deo familiaritatem adeptam, ad maiorem aspirare, & post eximia opera, in eius obsequium praestita, adhuc maiora moliri.

V. Difficultatibus & molestiis, quæ in his magnis operibus oriri solent, non metere, non angere, sed letari, atque gaudere.

VI. Pro his omnibus solum Dei obsequium ac gloriam expectare, & verum honorem, scilicet aeter-

num, in patria decernendum, concupiscere.

VII. Dignitates & mundi honores, si non offerantur, non appetere; si offerantur, aspernari: & minus voluntarij, solum pro Dei gloria & merito obedientiae suscipere, & sub illis, tanquam sub pondere, gemere, & libentissimè eos aliis dimittere.

VIII. Honores, ac munera, nostris meritis minorâ, præ ambitione non aspernari, sed illa cum magna modestia administrare, & quasi nostra maiori dignitate honore afficere.

IX. Non solum pusillanimitatem, quæ viribus, à Deo nobis datis, congrua non audet, sed etiam praesumptionem, ambitionem, & inanem gloriam fugere.

X. His ex parte continentur viginti indicia notanda viri magnanimi, quæ Aristoteles numerauit, & bene interpretata, non parum vilitatis viro spirituali possunt afferre. Vir enim magnanimus. 1. Spectato officio aut dignitate magna, quam quaerit, se propter illam, qua Deum repræsentat, dignum magno honore iudicat. 2. Modicè magnis honoribus, & à magnis viris oblati, delectatur, paruòque contemnit. 3. In prosperis & aduersis moderatum se exhibet. 4. Magnanimitatem est, parua pericula paruis relinquere, magnis verò pro Dei gloria se exponere, & si opus fuerit vitæ non parcere. 5. Acceptum beneficium ab homine maioribus beneficiis compensare. 6. Neminem ex mortalibus, nisi ob res magnas, rogare. 7. Libenter aliis adiumento esse. 8. Cum principibus & opulentis, si ita gloria Dei exigat, praestare se magnum & excelsum; cum mediocribus & infimis, moderatum. 9. Non se locis honoratioribus aut dignitatibus ingerere. 10. Cunctari in his, quæ aggreditur, & non multa, sed magna facere. 11. Apertè vitia odisse, & virtutem amare. 12. Palam & liberè, quæ dicenda, & agenda sunt, dicere & agere. 13. Vulgi hominibus sententiam suam & rationem gubernandi non proderè. 14. Alterius nutu, nisi superiori, non posse viuere. 15. Quia nihil ei magnum est, non facile admirari. 16. Iniuriarum non meminisse. 17. Aliorum nimium laudatorem, aut vituperatorem non esse. 18. In molestiis querulum non se præbere. 19. Malle res honestas quam viles possidere. 20. Habet denique magnanimus vocem grauem, motum tardum, orationem sedatam, & quæ paucis studet, non festinat, & quia nihil magnum aestimat, nunquam vehementer contendit.

Postulatio Magnanimitatis: Domine Iesu Christe, rex magne, qui pro nobis pusillis magna & incomprehensibilia fecisti, & seculi honorem calcasti: fac nos, obsecramus intentè, magnorum operum amatores, & terrenorum honorum & dignitatum contemptores; ut & magna opera & magna in tuo regno premia nos efferant, & magnorum honorum secularium contemptus nos in verissimum sanctorum honorem inducat. Amen.

De Securitate. §. III.

Securitas est virtus, qua pacatè & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem anxietatèque errandi, praeposterè agendi, & non assèquendi finem, cohibemus. Quæ, ut Diuus Thomas ait, pars est magnanimitatis, quia cum magnanimus ea quæ aggreditur, non sibi imparia reputer, merito in operibus suis securus est, & de diuina misericordia sibi fauente confidit.

Psal. 47.
1.
Ioan. 3.
Luc. 1.
49.
Psal. 102. 4.

Psal. 85.
13.

Aug. 1.
de ciuit.
c. 17.

Luc. 19.
17.
Greg. lib.
3. in 1.
Reg. ad c.
17.

Greg. 5.

Arist. 4.
Ethic. ca.
3.

D. Tho.
2. 2. q. 129
ar. 7.

Incitamenta ad Securitatem sunt. I. Concur-
sus Dei, qui omnes res naturales in suis functioni-
bus mirabiliter iuvat. Qui & ipsis peccatoribus
in suarum quoque legum transgressione auxilia ad
operandum generalia non denegat, ne naturali or-
dini in rebus statuto deficiat. Quanto ergo magis
suos iustos iuuabit, pro eius obsequio laborantes,
& eos ab emergentibus impedimentis vinciri non
sinet.

II. Bona conscientia, quæ iustum Dei glotiam
quaerentem mirabiliter roborat, & spe exitus boni
confortat. Vnde Iob: Siniuitatem, quæ est in
manu tua, abstuleris, defossus securus dormies.] Et
Salomon: Iustus quasi leo confidens abique ter-
rore erit. Et Bernardus: Nihil in hac vita securus,
nihil iucundius possidetur bona conscientia Premat
corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa tamen
semper erit secuta.

III. Sollicitudo rectè præstandi omnia, quæ ad
nos pertinent, vt in his quæ agimus, prosperum fi-
nem assequamur. Qui enim quod ad se pertinet, fa-
cit, non imprudenter quod à Deo iuuabitur, de ini-
nita eius misericordia confidit. Et hoc inuauat Cy-
prianus, ita scribens: Dei est, inquam, Dei omne
quod possumus; inde viuimus, inde pollemus, inde
sumpto & concepto vigore, hæc adhuc positi futu-
rorum indicia prænossumus. Sit tantum timor inno-
centiæ custos, vt quod in mentes nostras indulgen-
tiæ cælestis allapsu clementer Dominus influxit, in
animi oblectantis hospitio iusta operatione tenea-
tur, nec accepta securitas indiligentiam patiat, & ve-
tus denuò hostis obrepit.

Actiões Securitaris sunt: I. Promptè, & alacri-
ter, & cum spe boni exitus, actiões præclatas & dif-
ficultatem præ se ferentes aggredi.

II. Timorem, anxietatemque, ex non legitima
causa obortam, abicere.

III. Quiescere & sine vlla perturbatione, dum in
Domino, & non in nobis fiduciam collocamus, ope-
ra bona præstare.

Postulatio Securitaris: Domine Iesu Christe,
triumphator potentissime, qui omnino securus de
victoria peccati & mortis existens, ante passionem
tuam, acclamationem victoris libenter suscepisti, &
Hierosolymam ante conflictum cum morte, tan-
quam mortis & peccati victor, intraisti: concede, qua-
sumus, nobis famulis tuis, ita tuam erga nos amabi-
lem prouidentiam & abundantissimum auxilium
agnoscere, vt simus in bello tentationum tua prote-
ctione tuti, & in magnorum operum exercitatione
tuo adiutorio securi. Amen.

De Magnificentiâ. §. IV.

Magnificentiâ est virtus, qua ob Dei honorem, in
magnis & vtilissimis operibus magnos sumptus
facimus, & ingentem vim pecuniæ profundimus.
Quod innuit Augustinus dicens: Est rerum
magnarum, & excellentiarum, cum ampla quadam &
splendida propositione, cogitatio atque administra-
tio. Et apertius Basilias: Qui magnificas, inquit, de
Deo cogitationes habent, sublimes item de rerum
creatione rationes speculantur, huc etiam quatenus
potuerunt incubuere, vt bonitatem diuinæ prou-
identia qualicumque intelligentia consequerentur,
ad hoc in faciendo sumptu minimè illiberales aut
sordidi, & in alleuanda fratrum necessitate munifici;
ij demum sunt magnifici, in quibus vox Domini sibi
elegit domicilium.

Incitamenta ad Magnificentiam sunt: I. Deus

Iob. 11.
14. 18.
Prou. 28.
1.
Bern. lib.
de confes-
sionat pro
pe suam.

Cypr. lib.
1. ep. 2. ad
Donat. ii.

Aug. lib.
83. 99. 9.
31.
Bas. hom.
in Psal.
28.

pro nobis redimendis magnos sumptus fecit, qui non
auro vel argento, sed sanguine sui Filij, in infinitum
pretiosiore, nos in libertatem afferuit. Sciens,
inquit Petrus Apostolus, quod non corruptibili-
bus, auro vel argento, redempti estis de vana ve-
stra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso
sanguine quasi agni immaculati Christi & inconta-
minati. Quid ergo multum, si nos propter illum
ex bonis suis, quæ recepimus, magnos sumptus facia-
mus?

II. Deus etiam hominem magnificum fecit.
Nam magnificauit Dominus facere nobiscum, facti
sumus latantes. Et Gregorius ait: Deus homi-
nem magnificat, quia largitate rationis dat, quia
infusione gratiæ vilitat, quia honore collatæ virtu-
tis exaltat, quibus animam maximè reficitur, quia
magno animo & rationali nihil est magnum, nec
satiat eum nisi solus Deus, qui est immensus. De-
bet ergo qui magnificus est, opera magnificentia præ-
stare.

III. Quanto pro Deo plura & maiora in-
sumimus, tanto ditiores efficitur, quia pro tem-
poralibus ferè nullius valoris spiritualia immensi
pretij recipimus. Hoc autem aded verum est, vt
Paulus de his, qui præcipuum opus magnificentia
faciunt, & omnia pro Christo dimittunt, dicat:
[Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.] Et
Dominus: Centuplum accipient, & vitam æter-
nam possidebunt.]

Actiões Magnificentia sunt: I. In ope-
ribus magnis & splendidis, vt in ædificandis Ecclesiis,
monasterijs, collegijs, & in alijs ædificijs sa-
cularibus, ad splendorem reipublicæ pertinentibus,
magnos sumptus auri, argenti, gemmarum, & pecunia-
rum facere.

II. Affectum immoderatum erga has magnas
opes, qui earum profusionem impedit, moderari.

III. Magnis sumptibus, id est, dimissione omnium
rerum, gemmam perfectioni, coeunere.

IV. Nos ipsos, qui omnes sumptus externos
superamus, in veræ virtutis adeptionem, & in
magnorum propter Deum operum molitionem, in-
sumere.

Postulatio Magnificentia: Domine Iesu Christe,
qui es magnificus in sanctitate, terribilis, atque lau-
dabilis, & faciens mirabilia, qui que in conuiuio cor-
pons & sanguinis tui magnificentissimus apparuisti,
dum te ipsum, infiniti valoris thesaurum, ad nos ci-
bandos & potandos donasti: effunde super nos spi-
ritum, diuitiarum contemptorem, vt sicut te in spi-
ritante omnia volumus dimittere, ita parati simus, si
omnes mundi gazas nunc haberemus, propter tuam
amorem erogare. Amen.

De Patientia. §. V.

Patientia est virtus, qua mala huius sæculi æquo
animo sustinemus, ita vt propter illa, nec interius
immoderatè turbemur, aut tristemur, nec exterius
aliquid minus honestum minusue decorum admit-
tamus. Mala huius vitæ quæ patientia sustinet, sunt
mortes parentum, filiorum, cognatorum, amicorum;
morbi, exilia, damna, iniuria, contumelia, & cæ-
tera huiusmodi, quæ possunt accidere. Patientis igitur
est, in his euentibus tristitiam, mærorem, & afflictio-
nem moderari, ita vt mensuram rationis non ex-
cedat, nec ad aliquid illicitum ad depulsionem malo-
rum inducat. Est etiam, verba, & gestus, & alias ex-
ternas actiões, tristitia indices, ita regere, vt nihil in
eis, nisi quod decorum est & virili animo dignum,

eluceat.

1. Petr. 1.
18. 19.

Psalm.
124. 3.
Greg. 8.
mor.

2. Cor. 6.
10.
Matt. 19.
19.

Exodi
15. 11.

Aug. de Patien. c. 2.

Iustin. in ligao vira da Pat.

eluceat. His intelligitur definitio Augustini: Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus. Illa etiam Laurentij Iustiniani: Patientia est virtus, contumeliarum & omnis adversitatis imperus æquanimitè portans; vel est, aliena mala, id est, ab aliis illata, æquanimitè perpeti, & contra eum, qui irrogat, nullo animi dolore moveri.

Incitamenta ad Patientiam sunt: I. Sine patientia, vitam cælestem, quam speramus & optamus, habere non possumus. Quoniam impossibile est, nos in hoc exilio, tot malis & miseris referto, multis illorum sæpe non impeti, quibus nisi patientia resistamus, facient nos aut à bono descidere, aut in malum peccatúmque prolabi. Hoc autem significant illa verba Domini: In patientia vestra possidebitis animas vestras, quia nequaquam animæ vitam possidebitis, nisi patientia fulgeamus. Atque item illa: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Et beati estis cum maledixerint vobis homines, & cætera.

II. Patientia ipsius Dei, qui tantam ingratitudinem & peccatorum nostrorum colluivionem sustinet, qua nos propter bonum nostrum, merores & ærumnas sustinere docet. Si Dominus, inquit Cyprianus, nobis pater & Deus est, sectemur patientiam Domini pariter & patris. Quia & servos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis, & honoris, instituta ab hominibus prophana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen solis oboriri? Et cum imbribus terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quominus iustus simul & iniustus indiscretas pluvias largiatur? Et post multa commemorata beneficia, hæc subiicit. Et cum crebris, immò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat.] Hæc ille. Inducit etiam exemplum Christi Salvatoris nostri, cuius tota vita, patientia fuit. Qui in ingressu in hunc mundum, in progressu per hunc mundum, in egressu de hoc mundo, innumera mala sustinuit, & adversa patientissimè toleravit. Æquum est autem, ut nos, qui eius membra sumus, pati & sustinere, gloriosissimum cogitemus. Pulchre sponsa, inquit Bernardus, convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formosam sed & nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse, & in sponso, cui similari, quantæ etiam gloriæ est: Nihil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi opprobrium portare. Vnde vox illa proflus exultationis & salutis: Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri, Iesu Christi.] Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed formosa, & similitudo Domini. Vade ad sanctum Isaiam, & describet tibi qualem eum in spiritu viderit. Quem namque alium dicit [virtum doloris, & scientem infirmitatem;] & quia [non erat ei species, neque decor;] Inducit tandem sanctorum exemplum: Nam sicut eorum caput oportuit per passionum tolerantiam intrare in gloriam suam; ita necessarium fuit, ut ipsi in gloriam eadem via ingrederentur. Et nos si cupimus eorum socij esse, per eandem viam debemus intrare.

III. Præmium patientiæ eximium est: Nam &

A in hac vita patientia nos perficit, iuxta illud: Virtus in infirmitate perficitur; & in alia vita eximia remuneratione coronat. Idque significant illa verba Iob: Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Quia nimirum, ut inquit Gregorius, inde mens ad summa euolat, vnde caro in infimis duris laborat. Quanta autem sint patientiæ bona, Tertullianus in hunc modum exponit: Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuvat, humilitatem instruit, penitentiam expectat, exomologesim, id est, confessionem, assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænât, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat.

B Actiones patientiæ sunt: I. Damna fortunæ & substantiæ mundialis æquanimitè ferre.

II. Iniurias, irrisiones, probra, contumelias, detractiones, & infamias æquo animo sustinere.

III. Dolores, ægri tudines, corporis imbecillitatem, atque ipsam mortem, sine impatientiæ nota tolerare.

IV. Hæc omnia sufferre sine murmuratione, sine lamentationibus, & querimoniis, sine immoderata & nimia tristitia.

V. Suprà dicta mala non solum sine tristitia nimia sustinere, sed etiam se ad gaudium inducere, quia pro gloria Dei aliquid tolerat, & planè cum gaudio & exultatione pati, sicut Apostoli: Qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habitus sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.]

C VI. Ferre hæc mala, aut quia ea nostræ culpæ commoverunt, aut etiam sine culpa, quæ ab hostibus & inimicis dimanarunt.

VII. Ferre hæc mala propter bona opera, quibus aliis adiumento fuimus, qui in nos benevolos, se malevolos & ingratos præstant, secundum illud: Si benefacientes sustinetis, hæc est gratia. Atque iterum: Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.]

D VIII. Sustinere mala, non tantum à malis, sed etiam à bonis, & ab his, qui bono zelo, non tamen secundum scientiam, nos persequuntur, & qui dum de nobis detrahunt, aut famam dilacerant, & rebus spoliant, arbitrantur se obsequium præstare Deo.

IX. Non nos excusare, sed in medijs malis quietos silere, sicut fecit Dominus, qui à Pilato interrogatus, [nihil respondit,] & apud Herodem prudentissimè tacuit.

X. Mala hæc concupiscere, & ex desiderio imitationis Christi peroptare. In cuius persona scriptum est: Improperium expectavit cor meum & misericordiam.]

Postulatio Patientiæ: Domine Iesu Christe, qui in diebus mortalitatis tuæ, nos semper bona agere & mala tolerare docuisti: spiritum nostrum virtute patientiæ roborâ, ut mala à malis & à bonis, sine vlla etiam occasione à nobis data, propter te æquanimitè toleremus, & ut ob eorum depulsionem, nec vllò peccato scdemur, nec à virtutis sequela vllò modo desistamus. Amen.

De Longanimitate. §. VI.

Longanimitas, est virtus, qua per longam tempus molestias corporis & mentis ariditates sustinemus, & malorum remedium, ac felicitatis adventum, diu dilata, æquo animo, ac firma spe à Domino speramus. Quæ pars est patientiæ, & in hoc ab ea differt, quod patientia, mala quidem tolerat, longanimitas

Iob. 5. 7. Gregor. 6. mor. c. 5.

Tertul. de patientia.

Apost. 5. 41.

Psal. 34. 13.

1. Petr. 2. 20.

Matth. 27. 14.

Psal. 63. 21.

Matth. 5. 10. 11.

Cyprian. lib. de bono patientia.

Bern. ser. 25. in Cât. prope finem.

Ad Gal. 6. 1. 4.

Isa. 53. 3.

Ibid. n. 2.



nimitas verò quod difficilius est, facit : nam per diurnum tempus mala sustinet, & consolationem per multos dies, menses, & annos dilatam expectat.

Incitamenta ad longanimitatem sunt : I. Bonum, quod malorum perpeffione speramus, maximum est. Ab eo etiam illud expectamus rerum omnium conditore, qui potentissimus est ad donandum, & celerissimus ac presentissimus ad auxilium ferendum. Differt autem aliquando, quia remedij dilatacionem ipsius gloria, & nostrum maius bonum exposcit. Non ergo æquum est, vt maxima bona, quasi nullius momenti essent, breui labore velimus accipere, & ante tempus, Dei gloria & nostræ vilitati conueniens, illa optemus comparare. Quamobrem vnusquisque illud Davidis sibi dictum existimet : Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.]

Psal. 26. 2.

II. Saluator noster, longissimo tempore nos morantes, & eius iussis obedire detrectantes, expectat : & si post conuersionem nostram ab illo fugiamus, vel segniter nos geramus, nostram ingratitude, segnicem, ac stultitiam, mirabili longanimitate supportat. Quare vilis homuncio & inuicilis seruus Dominum suum non expectabit? Quare à sapientissimo magistro longo tempore aduersa tolerare, non discet? Quare fidelissimo patri omnia prospicienti & leuamen afferre cupienti non fidet? Gemina dulcedo suauitatis, inquit Bernardus, exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. De primo legimus : An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras, quia benignitas Dei ad penitentiam te adducit?] De secundo verò : Quacumque hora ingemuerit peccator, peccatum tunc remittetur ei. Si ille nos expectat, expectemus vicissim illum & nos, quia veniens veniet, & non tardabit, & lacrymas nostrorum oculorum absterget.

Ber. ser. 9 in Cant.

Rom. 2. 4.

Ezech. 18, 21.

III. Inducit longanimitatis laus, quam Laurentius Iustinianus hac luculenta oratione contexit : Longanimitas est amica virtutum, gratiæ aduocatrix, religiositatis domicilium, fidei speculum, testimonium sanctitatis, ornamentum Catholice veritatis, Dei imitatrix, interemptrix vitiorum, tentationum medicamentum, persecutrix dæmonum, & spiritualis lancea, inimicorum arma transigens. Hæc Christi militibus necessaria esse probatur. Tolle longanimitatem bellatori, & illico timore comprehensus, terga aduersariis dabit. Si hac operari quisquam caruerit, intermisso opere repente deficiet. Sanctorum longanimitatem aduerte, tu, qui pusillanimitate purgaris : eorum in tribulatione constantiam si diligenter attendas, efficietis patiens, & in diuinæ gratiæ expectatione robustus. Ipsos imitare, quos diligis, vt ad illorum gloriam pertingere queas, virtute præuia felicitatis eorum consequeris fastigium.

Infl. li. de interiori conflictu, c. 11.

Actiones longanimitatis sunt : I. Persecutiones, iniurias, molestias corporis, & cætera huiusmodi longo tempore, immò vsque ad mortem, si oportuerit, sine vlla impatientiæ nota tolerare. II. Mentis ariditates, consolationum diuinarum subtractiones, & Deum se abscondentem, & quasi in medijs fluctibus, quibus submergimur, dormientem, sustinere. III. Propter hæc & alia terribilia, quæ viri spirituales interdum experiuntur, quibus à Domino præbentur, nunquam in rebus exterioribus consolationem querere, nunquam à studio sanctæ orationis separari, nunquam in cura virtutis intepefcere.

IV. Illam in quacumq; gratiæ subtractione men-

tem induere, quam habebat sanctus Iob, quando dicebat : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, verumtamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus.]

Postulatio longanimitatis : Domine Iesu Christe, cuius hoc est pulchrum tuæ longanimitatis elogium : Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors, qui que nos innumeris miseracionibus implet, & duriciam nostram vsque ad senectam & senium expectas : quæsumus, angustum cor nostrum dilata, & longanimitatis virtute magnifica, vt semper labores & molestias pro te sustinentes, & nullam in hoc exilio mercedem consolationis postulantes, nos eternitatis cognitores esse monstremus, & bonorum æternorum amatores ostendamus. Amen.

Iob. 13. 11.

De Perseuerantia. §. VII.

Perseuerantia est virtus, qua ex ipso affectu continuandi bonum in bonis operibus vsque ad finem persequitur, & molestiam, ex rei laboriosæ diurnitate prouenientem, superamus. Seu est, vt inquit Albertus, in bonis operibus frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, spiritualium gratiarum & virtutum diligentissima vsque ad mortem obseruatio. Aut breuius cum Augustino : Est in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio. Donum autem perseuerantiæ longè distat ab hac virtute, quod in iustitiæ & gratiæ vsque ad mortem continuatione consistit. Hoc donum vniuersoram quidem donorum maximum sub merita nostra non cadit, & nemo illud vsque ad extremum vitæ terminum plenum habet, de quo nunc nihil intendimus disputare.

Alber. in paradisi anima. c. 42. Aug. lib. 83. 99. 9. 31.

Incitamenta ad Perseuerantiam sunt : I. Sine perseuerantia omnis labor in aliqua virtute susceptus debita mercede vacuatur. Et sicut vanum est, oculum sine præsidio lucis ad videndum aperire ; ita stultum est, sine perseuerantia præmium laborum expectare. Ideo que non perseuerantes stulti vocati sunt. Sic stulti estis, ait Paulus, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Et Sapiens : Stultus, vt luna, mutatur.] Et Dominus instabiles vocat arundines vento agitata, quia ex motu suorum operum nullum fructum solidum accipiunt.

Eccli. 27. 12. Matt. 11. 7.

II. Perseuerantia quod petit impetrat. Vnde in illa parabola petentis ab amico tres panes, ait Dominus : Si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.] Perseuerantia quoque præmium æternum mercatur. Nam & ipse auctor huius præmij ait : Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.]

Luca 11. 81.

Apoc. 2. 10.

III. Inducit pulcherrima perseuerantiæ laus scripta à Bernardo, qui sic habet : Et nunc quid restat, charissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ solam meretur viri gloriam, coronam virtutibus : Prorsus absque perseuerantia nec qui pugnat, virtutiam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutritrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saul cum esset paruulus in oculis

Ber. epist. 229.

fuis,

fuis, rex est super Israel constitutus, non perseverans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si caute la Samson, si Salomonis deuotio perseverantiam retinissent, necis profecto priuaretur sapientia, nec ille viribus. Hoc summa honestatis inigne, hanc totius probitatis vnicam fidamque custodem, custodiri à vobis firmiter hortor & precor.

Actiones perseverantiae sunt: I. Laborem virtutis ex temporis diuturnitate prouenientem tolerare & vincere.

II. Non obstante eo labore, virtutis opera continuare, & in eo, quod semel coepimus, stabiles permanere.

III. Nec amore vitae, nec timore mortis, nec minis, nec promissionibus, quod fecit Susanna, à rectitudine separari.

Postulatio Perseuerantiae: Domine Iesu Christe amator noster perseuerantissime, qui cum semper dilexisses tuos, in finem dilexisti eos, & in cruce pendens & dicens, [consummatum est,] illustrissimum nobis exemplum perseuerantiae dedisti, fac nos in eo, quod ob tuum obsequium coepimus, stabiles, & in omni virtute perseverantes, vt cum Apostolo tuo possimus dicere: Fidem seruauimus; & cum exemplo patientiae Iob, quia [donec deficiamus, ab innocentia nostra non recedemus.] Nam si nos fidem vsque ad finem tibi seruauerimus, absque dubio à te, remuneratore fidelissimo, [mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem] recipimus. Quam da nobis, rogamus supplices, per tuam infinitam bonitatem. Amen.

De Constantia. §. VIII.

Constantia, est virtus, qua quaecumque impedimenta virtutis, vel ex ipsa humani cordis mobilitate, vel ex causis extrinsecis prouenientia, superamus, & in bono stabiliter permanemus. In hoc ergo à Perseuerantia distinguitur, quod haec difficultati ex longitudine temporis dimananti resistit, illa verò reliqua extrinseca impedimenta & humani ingenij instabilitatem respicit. Istamque esse constantiae naturam, satis indicat Ambrosius illis verbis: Gratia preparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam, vt nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestiis, nullis supplicis cedere.

Incentimenta ad constantiam sunt: I. Constantia sanctorum martyrum, qui tormentis acerbissimis interrogati, & timore mortis adacti, vt fidem desererent, semper immobiles perstiterunt, & nunquam verum Deum abnegarunt. Item constantia omnium sanctorum, qui inter magnas difficultates nunquam à desiderio perfectionis auulsi sunt. Nos igitur, qui non vsque ad sanguinis effusionem restitimus, neque vsque ad mediocritatem proficimus, vtique debemus eorum exemplis accendi, & ob nulla impedimenta à virtutis inquisitione cessare.

II. Per constantiam protoparentis nostri, erratum corrigimus, & famam amissam vtique resarcimus. Ille enim quia in veritate non stetit, & verbis vxoris emollitus est, seipsum & nos perdidit. Hoc autem immane facinus detestamur, & damnum nobis illatum reparamus, cum in gratia, nobis per Iesum Christum Saluatorem nostrum restituta, persistimus, & impedimenta vniuersa virtuti reluctancia prosterminimus.

III. Bonum amittimus, à quo per inconstantiam recessimus, & ad virtutem capessendam necesse est vsque ad finem persistere, nec sufficit eius studium in-

choare. Quod si cordis instabilitas nos ad id, quod coepimus, deserendum sollicitet, aut quauis impedimenta insuperabilem esse difficultatem obtendant, expendamus animo, Deum, cuius potentia nulla est mensura, nostrum auxiliatorem esse, qui & impedimenta nobis, non aliter quam lapidem sepulchri, sanctis mulieribus tollit, & omnem difficultatem superabit. Vnde ipse ait per Isaiam: Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines: quia ego Deus tuus confortauit te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iustis mei.]

Actiones Constantiae sunt: I. Statum perfectionis, quem semel arripimus, nunquam mutare.

II. Modum orandi, & nos cohibendi, & in virtutibus proficiendi, quem à maioribus didicimus, nisi manifestè à Deo ad alium vocemur, semper tenere.

III. In loco aut ministerio, in quo nos obedientia posuerit, sine vlla inquietudine requiescere.

IV. Superfluos discursus, & saecularium non necessarias visitationes, & à nostro instituto aliena negotia, fugere.

V. Cogitationes & desideria, in vno, scilicet in Deo, quem vt finem quarimus, fixas habere.

VI. Ab his, quae Deo placent, ob nullam obortam difficultatem cessare.

VII. In desiderio proficiendi & virtutem augendi, nunquam in tepefcere.

Postulatio Constantiae: Domine Iesu Christe, qui ab hostibus veritatis in crucem actus, & ad descendendum inuitatus, descendere noluit, vt nostram redemptionem perficeres, & ad constantiam animares: fac nos, oramus intentè, tuae inuictae constantiae imitatores verissimos, vt à cruce, quam pro te semel portare coepimus, nunquam per ignauiam desistamus. Amen.

De Virtute Temperantiae.

CAPVT IX.

OSTREMA ex virtutibus moralibus est Temperantia, quae ad cohibendum appetitum concupiscibilem data est; in eoque appetitu residet, licet secundum aliquos, non inferioris notae Theologos, in voluntate quoque resideat. Putant enim omnes, virtutes, ad Fortitudinem & Temperantiam pertinentes, ex duplici habitu coalescere, quorum alter afficit appetitum, alter verò voluntatem. Sed quia hoc non est nostri instituti definitio, nec asserimus, nec negamus. Temperantiae, multae sunt, tum species, tum potentiales partes, seu virtutes annexae, quae hominem temperatum reddunt, nempe Abstinencia, Sobrietas, Castitas, Virginitas, Pudicitia, Maceratio, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, Paupertas, Taciturnitas, Studiositas. De quibus sigillatim tractandum.

De Temperantia. §. I.

Temperantia, est virtus moralis, cuius praesidio cohibemus passiones appetitus concupiscibilis, quae versantur circa delectabilia sensuum, praecipue gustus & tactus, ad quorum duorum sensuum functiones, aliorum sensuum actus ordinantur. Alio

modo

Marc. 16.

4.

Isa. 41.

10.

Dan. 13.

Ioan. 13.

1.

Ioan. 19.

30.

2. Tim. 4.

7.

Iob. 27-5.

Luc. 6-38

Ambros. 2.

Offic. 2.8.

Iustin. in
signo vi-
ta de eb-
rietas. c. 1.

modo sub nomine continentiae definit eam pulchre Laurentius Iustinianus: Est, inquit, amor Deo se se integrum incorruptumque seruans: vel est, nihil appetere penitendum, in nullo moderationis legem excedere, & sub iugo rationis cupiditatem domare. Contra hunc Augustinus ait: Temperantia est affectio coercens & cohibens appetitum ab iis rebus, quae turpiter appetuntur.

Incitamenta ad Temperantiam sunt: I. Hac virtus innocentiae & sanctitatis vestigium fuit, quam voluit Deus in Paradiso voluptatis sibi a parentibus nostris exolui. Tandiu innocentiam tenuerunt, quandiu Temperantiam perfoluerunt: hoc vero moderationis tributo denegato, in miserum peccati statum prolapsi sunt. Vnde Ambrosius: Temperantia est, quae refecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandauit Deus, dicens: De fructu autem ligni, quod est in Paradiso, non edetis, neque tangeris illud, ne moriamini. Et quia non est tentata, ideo transgressores virtutis egregiae, Paradisi exules facti sunt, & immortalitatis exortes.

Ambr. li.
de Iacob.
c. 2.
Gen. 2.

Hebr. 13.
14.

II. In hac vita exules & peregrini sumus, qui non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus; æquum ergo est, vt res huius vite non ad luxum & voluptatem, sed ad usum & necessitatem accipiamus. Quæ ratione Petrus Apostolus nos ad Temperantiam hortatur, sic scribens: Charissimi, obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.]

1. Petr. 2.
11.

III. Temperantiae virtute similes Angelis effici-mur, à brutis & irrationabilibus discedimus, & ad euolandum in cælum alis contemplationis præparamur. Quis enim addubitet illum Angelis similem fieri, cuius caro quantum possibile est, à sensibilibus elongatur: Et illum à brutis maximè discedere, cuius corpus bestiales motus, & animalium rationis expertium voluptates abominatur? Eumque tandem ad contemplationem parari, qui terrenæ cupiditatis visco non tenetur? Talis erat Ioannes Baptista, cuius vita fuit Temperantiae mirum exemplum. Ideo vocatus est Angelus: Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Quo nihil Deo similius, nihil à brutis bestiisque distantius, nihil ad Dei contemplationem aptius inuenitur.

Malach.
3. 1.

Actiones Temperantiae sunt: I. In rebus, quæ ad corporis voluptates pertinent, omnem honestatem & morum decorem amplecti.

I. I. Omnem turpitudinem per honestam verecundiam timere, & de his quæ mentis munditiæ repugnant, erubescere.

III. In voluptatibus corporis assumendis, pro mensura non aliud quam necessitatem habere. Ad quod Augustinus ait: Habet vir temperans in rebus huius vite regulam, utroque testamento firmatam, vt earum nihil diligit, nihil per se appetendum putet, sed ad vite huius atque officiorum necessitatem, quantum satis est, vsurpet.

Aug. lib.
de mori-
bus Ecclæ
s. c. 21.

Postulatio Temperantiae: Domine Iesu Christe, candor lucis æternæ, qui non solum ob corporis pulchritudinem, sed & ob animæ puritatem, dictus es [speciosus forma præ filiis hominum.] illustra mentem nostram, & corpus nostrum, Temperantiae claritate, vt similes tui effecti, merito fratres tui, quos in tantam dignitatem extulisti, & filij Dei nominemur & simus. Amen.

Esai. 44.
3.

De Abstinentia. §. II.

Abstinentia, est virtus, qua voluptatem, in vsu ciborum sitam, refrænamus, & debitum mo-

dum in eorum sumptione constituimus. De qua Basilius sub alio nomine ait: Continentiam autem appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat; quando hoc violenta quadam vite dissolutio est: sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis causa, pietatis ergo, de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam. Est itaque duplex huius virtutis pars; altera, quæ in alimentis necessaria sumit; altera, quæ sine notando salutis detrimento pro virtutis amore ex necessario alimento aliquid demit.

Basil. in
reg. c. 6. su-
suis di-
spus.

Incitamenta ad Abstinentiam sunt: I. Christus Dominus abstinentiam perpetuè coluit, parcissimis cibis vtens, & [quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit,] & abstinentiæ præceptum tulit, dicens: Ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Sanctos etiam omnes ad abstinentiam sectandam occultis mentis instinctibus hortatus est: qui dum ciborum corporalium delicias contempserunt, se miracè ad delicias spiritus præpararunt.

Matth. 4.
2.
Luc. 21.
34.

II. Abstinentia orationi copulata, multa & magna dona à benignitate Domini solet impetrare, vt passim ex diuinis Scripturis constat. Dumque corpori superflua denegamus, ad orationis studium, atque adeo ad cælestia dona suscipienda, capaciores effici-mur. Egregiè namque dixit Cyprianus: Sed & de victu parco & sobrio potu, diuinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore caelesti sublimem iam peccus illecebra secularis eneruet, vel ne largioribus epulis mens grauata, minus ad preces orationis euigilet.

Cyprian.
li. 4. epist.
7.

III. Magni momenti est ad tenendam abstinentiam illa consideratio, quam Laurentius Iustinianus late profequitur: Quanti scilicet antea diuites, & postmodum ad mendicitatem delapsi fame tabescunt: quanti ægroti vtriusque sexus ex defectu necessarij alimenti pereunt: quanti innocentes & conspiciuæ vite viri, in graui aut extrema necessitate degunt, in quorum conspectu, ciborum superfluitate & lauitia distendi, vix potest à nota crudelitatis excusari.

Iust. li. de
disciplina
monast. c.
20.

Actiones Abstinentiae sunt: I. Cibos ab Ecclesia vetitos, pro tempore, quo prohibentur, non sumere.

II. Ieiunia Ecclesiastica exactè seruare, ex propria regula aut instituto ordinata custodire: & ex consilio aliqua non præcepta suscipere.

III. Hora consueta secundum morem regionis aut congregationis, in qua viuimus, manducate.

IV. Cibos lautiores ac pretiosiores, quam necessitas & status ferat, auersari.

V. Communes cibos, non exquisitè præparatos, sed vtrumque oblatos, libenter comedere.

VI. Quantitatem ciborum, salutis corporis necessariam, & salutis animæ non officientem, tantum accipere.

VII. Ante comestionem, cogitationes de cibis penitus abscondere, & in ipsa comestione æstum & nimiam auiditatem cohibere.

VIII. Ex quantitate, & qualitate, & numero esculentorum, ea omnia subtrahere, quæ salutis carnis non noceant, & mentis puritati deseruiant. Hoc enim est quod inquit Petrus: Ministrare in scientia abstinentiam: ita scilicet abstinentiam custodite, vt mensuram discretionis minimè posthabeat.

2. Petr. 1.
6.

Postulatio Abstinentiae: Domine Iesu Christe, qui cum sis Deus noster, cibus etiam noster in sacro-

sancto

sancto Eucharistia mysterio fieri dignatus es: accende in nobis tui ardentissimum desiderium, & carnis viles concupiscentias enerva, vt eam frugaliter reficientes, & vt tabernaculum tuum virtute abstinētia mundantes, per puritatem eius, qua à vitiis abstinēt, & per mundiciam mentis, qua corporis delicias spernit, ad frequentiore panis caelestis receptionem disponamur. Amen.

De Sobrietate. §. III.

Sobrietas, est virtus, qua affectum & vsum potio- nis, praecipue inebriare valentis, moderamur. Quam virtutem Theologi, qui semper presē loquuntur, ad vinum & reliqua, quae inebriare possunt, restringunt; at ex vſu patrum ad omnem potum extenditur, immo & cum Abſtinentia confunditur, iuxta illud: Sobriē, & iustē, & piē viuamus in hoc saeculo.]

Incitamenta ad sobrietatem sunt: I. Mala ebrietatis, in quibus exponēdis multi sunt Patres, Basilus, Chryſostomus, Augustinus, Bernardus, & alij. Scriptura etiam accertimē in ebriosos inuehitur. Ab his omnibus meritō superfedemus, quoniam non ad saeculares populi, sed ad viros spirituales religionum scribimus. Qui illam Pauli sententiam sibi commendatam existimant: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtēre, propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Quo ostendit iustum & religiosum virum, ad multos annos aquae potu recreatum, ingrauescente aetate, modico vino debere esse contentum.

II. In prophanis hominibus damnatur ebrietas, quia potioris partis eorum, scilicet rationis, vsum tollit. In seruis autem Christi, immoderatus potus licet vsum rationis non tollat, tamen rationem obnubilat; & curiositas exquisitē bibendi minuit curam rectē viuendi. Per sobrietatem ergo cohibenda est, ne dum in potu delicias quaerimus, saecularium more, animae verissimam voluptatem, quae a morum puritate pender, amittamus.

III. Iustis dictum est in Canticis canticorum: Bibite amici, & inebriamini charissimi: qui sine dubio ad sobriam & sapientiae plenam ebrietatem spiritus inuitantur. Gregorius enim ait: Christi desiderio se affligunt ieiuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus diuinis, sola quae sunt aeterna, cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, vt ea quae retrō sunt, obliuiscētes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profectō isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur? At qui ad ebrietatem spiritus vocatus est, oportet, vt corpore sobrius sit, & ab his, quae spiritum hebetent, diligenter seipsum abducat.

Actiōnes sobrietatis sunt: I. Potum vini, aut alterius rei inebriantis, sic assumere, vt nullo modo vsum mentis obtenebret.

II. Ita ab huiusmodi potu temperare, vt corpus quidem ad functiones virtutis roboret, non tamen impuros motus excitet, nec ad minus decentia confortet.

III. Delicias in potu non quaerere, sed communi vino, vel aqua secundum morem regionis, & iuxta statum, quem habemus, contentos nos esse.

IV. Desiderium, quo ad potum inhamus, comprimere, & sicut nec in cibo, ita neque in potu mentem effundere.

V. Aliquando ex desiderio virtutis à potu necessario abstinere, & aliquam sitim, corporis saluti non officientem, pati.

Ad Tit. 2. 12.

Basil. 68. 14. in ebrietate. Chryſ. 68. 1. de La. 2. 40. 2. Aug. ser. 231. 232. de tempore. Bern. ser. 25. ad ser. Eccl. 19. Eccl. 31. 1. Tim. 5. 23.

Cant. 1. 1.

Greg. 10.

A Postulatio sobrietatis: Domine Iesu Christe, fons aquae viuae, & vena purissima vini, virgines germinantis, qui patibulo appensus propter nos, magnam sitimes passus, & vinum aspidum, id est, maleuolorum hominum, tibi oblatum es auerfatus; extingue in nobis, quae sumus, per sobrietatis desiderium, bibendi immoderatum appetitum, & tolle nimium potiois vsum, vt dum propter te corporis delicias refugimus, delicias spiritus sitiamus. Amen.

De Castitate. §. IV.

Castitas, est virtus, qua ab impuris carnis voluptatibus abstinemus, cuius principium est continentia: Eius autem munus est, vehementi carnis concupiscentiae resistere, & ab omni illicito membrorum vſu, etiam si caro reclamet, temperare. Alter potest Castitas definiti, quod sit virtus, qua corpus à carnalis concupiscentiae pollutione custoditur, & mens ab omni impura concupiscentia, munda seruat.

Incitamenta ad Castitatem sunt: I. Castitas honor est corporis nostri, quo à vilissima functione bestiarum educitur, & in quandam similitudinem beatorum spirituum euehitur. Idque aperte indicat Paulus, sic ad Thessalonicenses scribens: Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quae ignorant Deum. Vides, inquit Cassianus, quibus eam laudibus prosequatur: honorem vasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam. Igitur è contrario, qui in passione desiderij est, in ignominia & immundicia consistit, & alienus à sanctificatione versatur.

II. Castitas honor est etiam animae nostrae, nam haec, quae spiritus est, ex corpore casto tanquam ex illustriori & digniori tabernaculo dignitate decerpit. Et quae per incontinentiam in terra, immo in caeno habitat, per Castitatem habitationem suam figit in caelo. Vnde Ambrosius ait: Si tibi est patria, vbi genitale domicilium; in caelo profectō est patria castitatis. Itaque hic advena, ibi incola est.

III. Castitati eximium in caelis praemium promissum est. De quo Gregorius haec ait: Admonendi sunt, peccata carnis ignorantes, vt incellanter praemia suscipiant, & libenter proculdubio tentationum, quas tolerant, labores calcabunt. Si enim attendatur foelicitas, quae sine transitu attingitur, leue sit, quod transeundo laboratur. Audiant quod per Prophetam dicitur: Haec dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quae volui, & foedus meum tenuerint: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Eunuchi quippe sunt, qui compressis motibus carnis, affectum in se prauis operis abscondunt. Quo autem apud patrem loco habeantur, ostenditur, quia in domo patris, videlicet aeterna mansione, etiam filiis praerantur.

E Actiōnes Castitatis sunt: I. Omnem illicitum congressum carnis refutare: licitum verò, qui matrimonio iunctis est concessus, admittere. Et hic est infimus gradus Castitatis.

II. Ab omni opere carnis, tum illicito, tum etiam licito, penitus abstinere.

III. Desideria insurgentia carnalis voluptatis elidere, & eis omnino consentum denegare.

IV. In cogitationibus carnis non immorari, sed statim atque se ingerere ceperint, vt prunam

1. Thessa. 10. 4. 3.

Cassian. lib. 5. de institut. c. 15.

Ambr. 1. de uirginibus.

Greg. 3. p. pastor. ad mont. 29.

Isa. 56. 4.



nam accensam, repellere.

V. Turpes motus corporis validè comprimere, & aspectum aut tactum eorum, quæ nos possunt ad opus nefarium provocare, vel prurium carnis excitare, fortiter cohibere.

VI. Ita cogitationem nostram sanctis meditationibus ex desiderio castitatis occupare, & corpus abstinètia & asperitatibus domare, vt in vigilia hæc passio pro huius vitæ fragilitate nos deferat, & in somno immundæ illusiones relinquat.

Postulatio Castitatis: Domine Iesu Christe, qui, vt sponsa in Canticis ait: [pasceres inter lilia, & inter animas castas inhabitas,] & vt seruus tuus Gregorius interpretatur, earum castitate delectaris: tolle à nobis desideria carnis immunda, & minùs puras cogitationes repelle: indue animas nostras stola pulcherrima castitatis, & corpora nostra mundiciæ virore nobilita, vt ex corpore & animo nostro, in nobismet ipsis magnificum spiritui sancto habitaculum extruamus. Amen.

De Virginitate. §. V.

Virginitas, est virtus, qua quis, nunquam corruptus, firmiter statuit, carnis suæ integritatem perpetuò seruare, & ab impura voluptate corporis abstinere. Vel est, vt Ambrosius ait: expertis contagionis integritas. Vel, vt Augustinus: In carne corruptibili perpetuè incorruptionis meditatio. Meditatio autem significat propositum, multam curam & considerationem ad sui custodiam requirens.

Incitamenta ad Virginitatem sunt: I. Virginibus hoc donum concessum est, vt à Christi latere nunquam discedant, sed ipsum semper cingant & comitentur. Vidi; inquit Ioannes, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Et postea: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit. Christus apparet agnus, non leo; quia animæ virgines sunt agnæ, & ipse est sponsus agnarum. Apparet stans quasi præcinctus ad adiuuandum, quia virginitas, donum Dei est, quod non viribus nostris, sed præsidio agni custodimus. Nam & in libro Sapientiæ legimus: Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cuius esset hoc donum; adij Dominum, & deprecatus sum illum. Apparet in monte, aut supra montem, quia virginitas supra naturam est, quam qui colunt, puriori cælo gaudent, & humilia atque abiecta relinquunt. Agnum ergo virgines cingunt, quia ob vitæ puritatem illum imitantur, & cum illo conuersantur. Et quocumque ierit, ipsum sequuntur; quoniam in hac vita post ipsum præeuntem currunt, & in futura vita iuxta ipsum in honorabilissimo loco manebunt.

II. Virginitas homines similes Angelis facit, immò & quodammodo maiores reddit. Ad quod optimè Chrysostomus ait: Virginitas est bonum, id ego quoque fateor. At qui nuptiis etiã melior, & istud tibi assentior, ac si liber, illud adiungam, tanto nuptiis eam præfere, quanto cælum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac, si quid præterea audendum est, etiã magis. Nam si neque nubunt Angeli, nec vxorem ducunt, non etiã carne & sanguine coagmèrati sunt, in terris præterea non commorantur: non cupiditatum aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij, non cibi indigent aut potus, non sunt eiusmodi, vt eos dulcis sonus aut can-

tus mollire, aut præclara species possit allicere: nulla denique eius generis illecebra capiuntur: sed quemadmodum cælum, summo meridid, nullis perturbatum nubibus, purum & lucidum apparet; sic Angelorum natura nullis commota perturbationibus, necessariò clara permanet & illustris. At humanum genus, cum natura beatis illis mentibus inferior sit, omni vi studiòque contendit, vt quoad eius fieri potest, illas assequatur. Quomodo? non nubunt Angeli, neque vxorem ducunt: at neque etiã virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inferuiunt, & istud ipsum virgo.

III. Per, virginitatem anima Dei similis aut deformis efficitur. Incorruptio enim, vt in libro Sapientiæ dicitur, facit esse proximum Deo. Bafiliius ait: Magnum re vera quiddam ac præclarum, virginitas est, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Certè quidem Gregorius Nazianzenus Deum, virginem & coniugij expertem appellat. Quin & in Psalmo pro eo, quod nos habemus: Apprehendite disciplinam. alij legunt: Adorate puritatem, id est, Deum, qui purissimus est. Quid autem puritati increatae similibus in nobis esse potest, quàm ipsa puritas creata, qua corpore & mente virgines, animæ purissimæ existunt?

Actiones Virginitatis sunt: I. Corporis incorruptionem, cum qua nascimur, sponte conseruandam eligere, atque firmiter statuere, per totam vitam ab delectatione carnis abstinere.

II. Non solum corpus, sed multo magis animam, ab omni cogitationis & desiderij carnalis pollutione seruare.

III. Carnis & mentis integritatem vniuersis dignitatibus antepone: sicut fecit Beata Virgo, quæ ad matris Dei dignitatem inuitata, respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

IV. Omnes occasiones fuscandæ integritatis vitare.

V. Personas suspectas prudenter cauere, quæ possunt gemmam virginitatis eripere. Cuilibet autem mulieri suspectus sit quilibet vir, licet sanctus habeatur, & cuilibet viro quæuis mulier, licet sancta & perfecta reputetur.

VI. Media ad virginitatem ex affectu eius assumere: cuiusmodi sunt secundum Albertum, victus pareitas, cultus vilitas, corporis incommoditas, & fugere locum & tempus, impudicitia: opportunum.

VII. Ad finem virginitatis, nempe ad diuinam contemplationem, & ad intimam cum Domino familiaritatem, diligenter properare.

Postulatio Virginitatis: Domine Iesu Christe, virgo purissime, & virginis filius, & virginum sponsus, & virginitatis antesignanus: da his, qui incorrupti onem sui corporis seruaerunt, modeste de se sentire, & impensè virginitatem amare: his verò, qui eam perdidderunt, in corruptionis defectum humilitate supple-re, vt puritas animæ & corporis, tibi in illis humilitate sit grata, & caro in his flore incorruptionis orbata, sit per pœnitentiam & humilitatem accepta. Amen.

De Pudicitia. §. VI.

Pudicitia à pudore dicta, est virtus, qua aspectum, os, & manus continemus, ne in aliquid indecens minùs honestum tendant, quod mundiciæ castitatis officiat. Est ergo pars quædam Castitatis, quæ ab iudiciis & actibus præuiis vetererum auocat, quales sunt aspectus impudici, oscula, & tactus, vt Diuus Thomas ait.

Incitamenta ad Pudicitiam sunt: I. In ea non

parum

Cant. 2. 16.

Amb. lib. de virginit. Aug. lib. de virginit. 4. 13.

Apar. 14. 1.

ibid. 7. 4.

Sap. 8. 21.

Chrysost. lib. de virginit. cap. 11.

Sapient. 5. 20. Basil. de virginit. Nazian.

Psalm. 12.

Lucæ 1. 34.

Alber. in paradiso anima c. 6.

D. Tho. 22. q. 151. ar. 4.

parum honoris situm est: nam impudici (quia eorum inuercundia omnibus conspicua est) multo magis, quam inhonesti, infames habentur. Ideoque homines alicuius dignitatis & nominis, licet in occulto luxurie habenas laxent, tamen in publico signa suae immunditiae interioris occultant, quia digni honore & reuerentia haberi volunt. Ad quod non parum facit, quod de Magno Alexandro narrat Basilus, qui, inquit, Darij filias captiuas, admirabili forma & decore conspicuo, nec etiam videre dignatus est: turpe esse existimans, vidtores his, quas ipsi superassent, genibus succumbere.

Basil. lib.
24. de le-
gen. lib.
gent.

Basil. lib.
de virgi-
nit.

II. Angeli, & sancti, & Deus, & nos ipsi nos in obscuro delitescere videmus, quare aequum est, ut tam puros oculos, ac nos ipsos, Deo consecratos, reuerentur. De quo egregie loquitur idem Basilus in hunc modum: Et si enim adsit nemo, ipsa tamen virgo adest, debetque praeter omnibus se ipsam reuereri. Neque enim, quae reueretur ceteros, se ipsam reuerentia indignam iudicabit: verum (ut diximus) se ipsam primum conscientiamque suam reueretur, etiam si valde sit sola, deinde astantem sibi custodem Angelum. Angeli enim eorum semper vident, inquit, faciem Patris vestri, qui in caelis est. Nec vero conuenit, ut Angeli eius, cui credita est cura ac custodia salutis nostrae, faciem aspernetur homo, atque inprimis virgo, quae hunc ipsum veluti castitatis suae paranymphum custodemque habet. Praeter cunctis autem ipsum sponsum suum reueretur, sibi ubique assistentem, ipsiusque Patrem & sponsum sanctum. Quid per singula pergam? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & unam sanctorum patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula ubique consideret. Et si enim oculis carnis minime conspicui sunt; incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia & comprehendunt. Et hac ergo ratione si lateret virgo plures quaerit, longe hos magis, qui tanti ac tales sunt, quam homines, reuereri merito debet. Et quia multitudinis paucis obtutus; hos autem vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo, nihil unquam indecens faciet, aut a proposito suo alienum.

III. Laus notanda Pudicitiae a Cypriano descripta, qui sic habet: Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons Castitatis, pax domus, concordiae caput. Haec nos commendat Domino, connectit Christo: haec expugnat omnia de membris illicita desideriorum praemia, pacem nostris corporibus inducit: Beata ipsa, & beatus efficiens, apud quoscumque habitare dignatur.

Actiones Pudicitiae sunt: I. Aspectum seminarum & adolescentium, qui aliquam turpem cogitationem excitare possit, evitare.

II. Verbum minus honestum, neque unquam proferre, neque patienter audire.

III. Tactum cuiusque personae, non solum inhonestum, verum & nihil indecentiae habentem, si valde necessarius non sit, penitus evitare.

IV. Quisque se ipsum erubescere, & nec manu corpus proprium atrectare, nec semetipsum nudum aspicere.

V. Ita modestè & circumspectè in cella, & sine arbitris degere, ac si oculi nos omnium hominum viderent.

Postulatio Pudicitiae: Domine Iesu Christe, qui sancto animarum pudore delectaris, & in spon-

A tuis omnem pudicitiam & honestatem exquiris: da nobis, te semper praesentem cogitare, & omnia exteriora ac interiora nostra te intuentem agnoscere; ut ab omni eo motu & actu, qui tuae sanctitati iniustus esse poterit, diligenter abstineamus. Amen.

De Castitate & his duabus eius partibus infra latius ageamus.

De Maceratione. §. VII.

Maceratio est virtus, quae corpus nostrum ieiuniis, vigiliis, ciliciis, disciplinis, abstinentia cibi & potus, stationibus, genuflexionibus, humicabationibus, & aliis huiusmodi sponte castigamus, ut castitatem diligentius custodiamus, & Christo pro nobis crucifixio conformemur.

B Incitamenta ad Macerationem sunt: I. Castigatio corporis pro peccatis praeteritis satisfacit, ut secundum mensuram delicti, sit & plagarum modus. Carnem spiritui subicit, iuxta illud Pauli: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo. Et ad Deo caelestia dona, praesertim donum Castitatis extorquet. Caro enim nostra, doloribus afflicta & castigata, impuras voluptates dediscit, & liberam sinit animam, ut caelestes voluptates suscipiat.

C II. Qui carnem suam molliter tractat, facile ad vitia & noxia declinat. Sanctus enim David ait: Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebam. Ille autem sedit cum consilio vanitatis, qui de indulgendo suo corpori cogitat, ut Richardus Victorinus ait, ex quo facile est, ad consilium iniquitatis peruenire, congregationem iniquorum amare, & cum ipsis ad captandas prohibitas voluptates sedere.

D III. Maceratio corporis aditum ad diuinas consolationes parat; carnis autem oblectatio mentem spiritali dulcedine priuat. Vnde idem Richardus ait: Hanc veram suauitatis satietatem sentire non possunt, qui exterioribus deliciis affluunt. Non enim inuenitur huiusmodi suauitas in terra suauiter viuentium: nec sapere potest sapor huiusmodi inter tot oblectamenta deliciarum, & tam varia condimenta ciborum. Edent, inquit, pauperes, & saturabuntur, pauperes inquit, non diuites. Haec ille.

Actiones Macerationis sunt. I. Carni superflua denegare, & sola necessaria in victu & indumento concedere.

II. His, quae supra retulimus, exterioribus aspectibus carnem affligere.

III. Aegritudines & reliquas corporis molestias, accidentes ex hoc sine macerandi carnem, aequanimiter ferre.

E IV. In omnibus, quae ad corpus pertinent, ita nos habere, ut caro spiritui seruiat, & nunquam propter solam oblectationem quicquam accipiat.

Postulatio Macerationis: Domine Iesu Christe, quem in mundum venientem, gelu, frigora, & niues excipiunt; quem apud nos manentem, fames, sitis, & huius vitae molestiae comitantur, quem hinc emigrantem, flagella, spinae, crux, & clauis circumsepunt: tolle a nobis nimium amorem nostri, & desiderium nos castigandi, & macerandi benignus attribue, ut dum nos ipsos in hac vita salutari odio prosequimur,

Lib. 10.
par. 2. per
101am.

Psal. 25.
3.

Richard.
ibid.

Idem ad
Psal. 4.

Psal. 21.
27.

in vitam aeternam nostras animas custodiamus. Amen.

De Mansuetudine. §. VIII.

Mansuetudo, est virtus, quam aduersus eos, qui nos iniuria afficiunt, comprimimus, & moderamus. Vel est, vt quaedam glossa ait, dulcedo animi, quam non vincit amaritudo. Vel, vt definit Albertus, est cum propter illatas iniurias, mens nequaquam exacerbat, nec amaritudo cordis exterius indicatur, sed est quis quasi [homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.]

Incitamenta ad Mansuetudinem sunt: I. Exemplum Dei, qui infinitis hominum peccatis prouocatus non irritatur, & solitis beneficiis nos cumulare non cessat. Qui solem suum ortiri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.] Mansuetudo etiam Christi, [qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur,] & innumerabilibus iniuriis & contumeliis affectus, mentis tranquillitatem nec ad momentum deponebat.

II. Qui nos graui iniuria percutit, animam suam peccati vulnere interficit, & coram hominibus, vt inquit Chrysostomus, dedecore & infamia se afficit, & multorum aduersus seipsum aperit ora, nobisque maiores texit coronas, & multos patientiae nostrae ac magnanimitatis constituit praecones.] Magis ergo est commiseratione dignus quam ira. Et quidem, si ille reprobus est, satis habet miseriarum, neque oportet illum alia vltione multari. Si autem a Deo electus, seipsum aliquando corrigit, & iniuria illatae poenitebit. Iniquum est autem, ad modicum illi non parcere, quem amicum per totam aeternitatem fumus habituri.

III. Multa nobis bona ex mititate proueniunt, Nam & cum, qui nos iniuria affectit, mansuetudine vincimus, secundum illud: Vince in bono malo.] Et remissionem peccatorum promeremur. Dominus enim ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater caelestis peccata vestra.] Et caelestis patriae ciues pronuntiamur: Beati quippe mites, quoniam ipsi possidebunt videntium terram.] Et tranquillitatem mentis acquirimus: Mansueti namque hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.] Et benevolentiam apud homines comparamus: Vnde Ecclesiasticus: Fili, in mansuetudine opera tua perface, & super gloriam hominum diligeris:] id est, gloriam, & amorem apud homines consequeris. Et tandem ianuam cordis nostri veritati intelligendae aperimus: Quare Iacobus ait: In mansuetudine suscipite institum verbum.] Et Augustinus: Opus est mitemere, nec contradicere diuinae scripturae.

Actiones Mansuetudinis sunt: I. In iniuriis & contumeliis, aduersus nos iactatis, silere, & in nullam externam irae significationem erumpere.

II. Iras interius cohibere, & dictis considerationibus, aut aliis similibus, vel aliis mediis aptis frangere.

III. Cor nostrum ad serenitatem & tranquillitatem inducere: & tandem ipsum inter iniurias pacare.

IV. Iniuria afficientibus nos, vultus serenitate, blandis verbis, & molli sermone respondere.

V. Iniuriantibus beneficia libenter impertire, pro eis orare, & ex animo illis parcere.

Gloss. Matt. 5. Alber. c. 19. Psal. 37. 15. Matt. 5. 45. 1. Petr. 2. 23. Chryst. ho. 62. in Matth. Matth. 6. 14. Matth. 5. 4. Psal. 36. 11. Eccl. 3. 19. Iacob. 1. 21. Aug. 2. de doctrina Christ. c. 7.

VI. Iniurias obliuisci. Postulatio Mansuetudinis: Domine Iesu Christe, Agne mansuetissime, qui coram tondeute, immo & occidente te, obmutuisti, & te mansuetudinis magistram fecisti, dicens: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde:] perface cor nostrum virtute mansuetudinis, & voluntatem nostram in mediis iniuriis, & contumeliis dulci commiserationis affectu perfunde, vt dum iniurias remittimus, & pro malis bona reddimus, tuae scholae sectatores efficiamur. Amen.

De Clementia. §. IX.

Clementia, est virtus, qua ad moderatè puniendum mitescimus, & poenas delinquentibus infligendas moderamus. Vel est, vt Augustinus ex Tullio ait: per quam animi temere in odium alicuius illecti concitatioque, comitate retinentur. Vel est, vt ait Seneca, temperantia animi in potestate vlticendae: vel lenitas superioris aduersus inferiorem in constitutis poenis. Vel denique moderatio, aliquid ex merita & debita poena remittens. Quae virtus licet praecipue resideat in principibus & Praelatis, quorum est, delicta punire: tamen minus principaliter est in subditis, quatenus volunt, eadem delicta clementer & leniter a superioribus castigari.

Incitamenta ad Clementiam sunt: I. Clementia Dei, qui in hac vita insignia hominum flagitia minoribus factis castigationibus puniunt. De quo dicitur: Paenis omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.] In alia autem vita sicut premio afficit vltra condignum bonos; ita punit citra condignum malos, quia posset in illos iure acrius animaduertere, & ipsos acerbioribus poenis sine vlla crudelitatis nota castigare.

II. Clementia Christi Saluatoris, qui mulierem in adulterio deprehensam benignissime liberauit, & ex proprio peccato compunctam, eius compunctionem pro satisfactione accipiens, sine vlla laesione abire praecipit. Cuius pietatem & clementiam cogitantes, inquit Cyprianus, non acerbiamur, nec duri, nec in fouendis fratribus inhumani esse debemus, sed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum possumus, auxilio & solatio nostrae dilectionis erigere: nec adeo immites, & pertinaces ad eorum poenitentiam retundendam, nec iterum soluti & faciles ad communicationem temere laxandam.

III. Inducit consideratio fragilitatis humanae, quia frater, ignorantia forte aut passionis vi oppressus, peccauit; & propriae imbecillitatis cognitio, quoniam ego in simili occasione ab hoste tentatus, & diuina gratia destitutus, sed diu deliquissem. Haec etiam virtus maxime erga Praelatum benevolentiam subditorum conciliat. Quare Salomon: Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.]

Actiones Clementiae sunt: I. Poenas, a delinquentibus debitas, moderatè remittere.

II. Defectus aliquos, non nimis graues, vt grauioribus caueantur, & ne subditi proterui fiant, aliquando dissimulare.

III. Seueritate vti in homines malignos & proceres, qui aliter in officio contineri non possunt. In eos etiam, qui laedunt bonum commune. Nam dum in membra saeuimus, in totum corpus clementes sumus. Est autem seueritas, inflexibilis animi rigor, nihil de statuta aut merita poena remittens.

Postulatio

Matth. 11. 31. Aug. 11. 3. 99. 4. 31. Cicero. 2. de iust. tute. Sen. lib. 2. de clem. c. 3. Sap. 11. 27. Cyp. lib. 4. epist. 2. ad Antoninum. Psal. 20. 28.

Postulatio Clementiæ: Domine Iesu Christe, qui misericors & clemens diceris, & quod in te est, magis eligis, misereri, quam israeli, fac nos, peccatores & delinquentes fratres nostros agnoscere, ut dum eorum delicta ad severitatem excitant, propria natura nostra, tua gratia decorata, mentem, in vitionem inhiantem, ad clementiam & miserationem infirmorum inflectat. Amen.

De Humilitate. §. X.

Humilitas, est virtus, qua homo ex intima cognitione maiestatis diuinæ, & reuerentiā ad Deum, atque ex verissima nouitia sui, affectum reprimat excellentiæ sibi non debite, ab aliis despici appetit, & (quod ad se pertinet) in infimo se loco constituit. Descriptio hæc colligitur ex Thoma Aquinate: Sed aliam breuiorem & satis pulchram assignat Bernardus, dicens: Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Ponitur autem Humilitas, Modestia pars, quæ virtus quedam est generalis, cuius officium est, moderari appetitiones & delectationes mitiores his, quæ in cibis, & potibus, & vneris, & iræ effractione consistunt. Reprimat enim Modestia appetitum excellentiæ, & sic est Humilitas; appetitum habendi, & sic est Paupertas; appetitum sciendi, & sic est Studiōsitas; appetitum loquendi, & sic est Taciturnitas; & motus externos ac corporis cultum, & sic nomen Modestiae retinet.

Incitamenta ad Humilitatem sunt: I. Cognitio Dei & sui. Qui enim diuinam Maiestatem contemplantur, cui in libro Sapientiae dicimus: Quoniam tanquam momentum statere, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta rotis antelucani, quæ descendit in terram. Qui etiam seipsum intuetur: quia pulvis est, & in puluerem conuertendus:] & quia antea nihil fuit, nunc cumulus miseriarum est, & postea tabes & putredo erit. Qui serio animaduertit, quam ignarus sit, quam instabilis, quam ad malum pronus, quam ad bonum infirmus, quantis peccatis obnoxius, quam infimis rebus adductus, quantis miseriis subiectus, quam in esse, in posse, & in operari, ex se nihil habens, & à Deo pendens; cæcus profectò erit & stultus, si alium sapiat, si propriam excellentiam querat, si non se apud seipsum & apud alios quosque despiciat.

II. Admirabile exemplum Iesu Christi, qui cum esset Filius Dei, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & se non magistrum parandorum miraculorum, sed præceptorem humilitatis exhibuit. Quisque sua infinita dona cognoscens, se ea non à se, sed à Patre habere cognouit, & seipsum, tanquam nihil ex se habentem, inexplicabili quadam humilitate despexit, & doctrinam suam à Patre datam esse professus est, dicens: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.] Humiles parentes, infimum semper locum elegit, & ab omni fastu, & arrogantia, & hominum plausu, & mundiali dignitate fugit. Hunc ergo, in præsepe iacentem, & in cruce morientem, & factum solum simum virorum,] ut dixit Isaias, Deus Pater nobis in magistrum vitæ proposuit, ut ex ipso disceremus nos ipsos interius humiliare, & exterius deiecere, & infimum locum appetere. Nunc in ciuitate Dei, inquit Augustinus, & ciuitati Dei, in hoc sæculo peregrinanti, maxime commendatur Humilitas, & in eius rege, qui est Christus, maxime prædicatur, contrariumque huic virtuti elationis vitium, in eius

aduersario, qui est diabolus, maxime dominari, facris litteris edocetur.] Hanc nos virtutem propriam Christianorum, & à Christo, Capite nostro, verbis & exemplis commendatam amplectamur, ut eius membra, capiti consentientia, iudicemur.

III. Humilitas est fundamentum virtutum, Veritas vitæ, Pax animæ, respectus terrenorum, quam qui possederit, beatus erit, & Deus illum exaltabit, & in magnam gloriam attollet. De quibus postea.

Actiōes Humilitatis sunt: I. Seipsum agnoscere, & omnia dona, tum naturalia, tum supernaturalia, aliena esse, nempe Dei, verissime profiteri, & se ex se nihil boni habere, sine vlla fictione cogitare.

II. Seipsum despiciere, & quoad ea, quæ quisque ex se habet, seipsum vilipendere, & in quaque re, etiam minima, penitus de seipso diffidere.

III. Seipsum reputare receptis Dei donis indignum, & ad noua recipienda ineptum: Talē quis se potest quisque aestimare, sine vlla falsitate, quia re vera talis est secundum ea quæ ex se habet.

IV. Non cupere ab aliis magni aestimari, honorari, vel laudari, & omnem honorem & laudem in Deum suum auctorem reicere.

V. Desiderare, quantum in ipso est, contemni, & vilis haberi, nisi aliud personæ dignitas, officij qualitas, proximorum ædificatio, & diuina gloria requireretur.

VI. Proprios defectus libenter detegere, & ingentiam vilitatem declarare, nisi fratrum ædificatio & voluntas Dei aliud faciendum esse suaderet.

VII. Dolere, quod magnifacit & honoratur, nisi ob gloriam Dei, ratione officij aut dignitatis quam gerit, & omnem gloriam, auctoritatem, aut honorem, quem vitare non decet, in Deum referre.

VIII. Censere se omnibus viliores, secundum ea quæ ex seipso habet, & in aliis diuina dona considerare.

IX. Subiicere se Deo, tanquam mancipium domino, vel tanquam testa figulo, ut de se, ad suum beneplacitum, in hac & in alia vita disponat.

X. Subiicere se hominibus propter Deum, præcipue superioribus, sine reque se sine vlla difficultate gubernari.

XI. In externis functionibus, quantum est in se, abiectionem complecti, ut latus sinistrum in congressibus, locum infimum in confessionsibus, officia minus honorata, detritiores vestes, pauperiorem suppellectilem, incommodiorem cellam, simpliciore socios, & cætera huiusmodi. Hæc in affectu, nam in opere debet se accommodare munici ac dignitati, quam gerit.

XII. Seipsum tandem in conspectu Dei & hominum, canem mortuum & fœtentem reputare, quem omnes fugiant, omnes vel conspectum eius exhorreant.

Postulatio Humilitatis: Domine Iesu Christe, qui Filius Dei existens, cato pro nobis factus es, & teipsum vermem, & non hominem, & opprobrium hominum, & abiectionem plebis appellasti, & ad humilitatis exemplum, inter duos latrones mortem subire voluisti: da nobis, rogamus supplices, verissimam tuæ Maiestatis ac nostræ vilitatis cognitionem, & ut nos ex corde vilipendamus, & contemptui haberi concupiscamus, benignè concede, quo humiles & tui similes facti, ad consortium humilium, qui in cælis gloriosissime regnant, euolemus. Amen.

De hac præstantissima virtute agendum est toto

libro sequenti: eam verò hic breuiter delineauimus, vt ordinem virtutum disceremus.

De Paupertate. §. XI.

Iust. in ligno vi- re de Pau- per. c. 1.

Alber. in li. de vir. c. 5.

Matt. 19. 29.

2. Cor. 6. 10.

Hieron. epist. 150. ad He- dib. q. 1.

Iust. su- pra c. 2.

Matt. 19. 21.

2. Cor. 8. 9.

Matt. 12. 1.

Ioan. 19.

Paupertas, est virtus, qua moderatur appetitum possidendi res temporales, & solis necessariis secundum rationem status contenti sumus. Paupertatem verò Euangelicam Laurentius Iustinianus ita describit: Est cum spirituali intentione, voluntaria abdicatio temporalium; est etiam quædam manu ductrix in via, quæ ducit ad cælum: vnctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Est quoque portus tranquillitatis, nutrix confidentiæ, quietis fundamentum, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in spiritu diu perdurare poterit. Albertus verò sic: Paupertas est, omnia propter Deum sponte & libenter dimittere, nihil præter solam necessitatem possidere, eadem necessitate se indignum sentire, & etiam ipsa necessitate quandoque propter Deum carere.

Incitamenta ad Paupertatem sunt: I. Sua relinquuntibus propter Christum, promittit Dominus ipse centuplum in hac vita, id est, sine sollicitudinum punitionibus, rerum necessariarum abundantiam, adeo vt sint [tanquam nihil habentes, & omnia possidentes;] & post hanc vitam, possessionem regni cælorum. O quanta beatitudo, inquit Hieronymus, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem.

II. Paupertas mentem nostram multis curis & sollicitudinibus liberat, quæ & ipsam pungunt, & lacerant, & iter in perfectionem atque in regnum impediunt. Egregia profectò est ad hoc propositum Laurentij Iustiniani sententia: Paupertas, inquit, hominem reddit expeditum. In hac enim vita peregrinamur, & quotidie ad patriam tendimus. Sicut namque ridiculum est, peregre proficiscentem se onerare lapidibus, ita quoque properantem ad mortem, cumulare diuitias. Quare quisquis es, qui expeditè cupis pertere ad perfectionem in hac vita, & ad cælestem post hanc, abiice à te diuitiarum onera, & amplectere voluntariam paupertatem, remoue à te vincula cupiditatum, abiice anxietates & tædia, quæ temporalibus animos inquietant. Si habes, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; si non habes, grandi onere liberatus es. Qui enim despicit temporalia, ad curendam cælestem patriam expeditus est.]

III. Inducit etiam paupertas Saluatoris, qui cum esset diues, propter nos egenus factus est, vt eius inopia nos diuites essemus. Qui sibi, ac discipulis spicas ad manducandum conficitantibus, panem habere noluit. Qui ante crucem nudus & omnibus spoliatus permansit. Qui in cruce sitiens haustum aquæ non habuit, nec lapidem, nec asserem, in quo moriens caput venerandum inclinaret. Nos autem membra eius volumus affluere, & nec minimæ rei necessitatem sustinere.

Actiones Paupertatis sunt: I. Omnia superflua personæ & statui dimittere, & in veros pauperes distribuere.

II. Dominio rerum temporalium, propter Christum, renuntiare, & nihil omnino tanquam proprium possidere.

III. Quemque solis ad frugalem victum, & angustum tegumentum, quæ ad vitam ducendam sunt necessaria, contentum esse,

A IV. Seipsum rebus etiam necessariis indignum reputare.

V. Si necessaria defuerint, patienter, & quam uolenter, hilariter ferre.

VI. Pro necessariis non immoderatè sollicitari, sed omnem sollicitudinem in eum, cui est de nobis cura, proicere.

VII. Superflua non petere, & vltro oblata minimè recipere, & si necessaria petenda sint, more pauperum, non tanquam debita, sed veluti ex eleemosyna danda, humiliter postulare.

Postulatio Paupertatis: Domine Iesu Christe, omnium Domine, cuius est terra & plenitudo eius, qui pro nobis tam mirificam paupertatem in mundo sectatus es, vt diceret, & verè diceret: Vulpes focæas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet; tolle à nobis per summam bonitatem tuam diuitiarum & rerum non necessariarum amorem: fac etiam nos necessaria sine sollicitudine querere, & animis nostris pulcherrimam virtutem Paupertatis sponde, vt qui propter te pauperem quidem in hac vita, sed pulchram & fatis amabilem sponfam eligimus, in alia vita non tantum pulchram, sed & diuitem habeamus. Amen.

De hac præstantissima virtute latè dicemus inferius.

De Studiofate. §. XII.

Studiofita est virtus, qua immoderatum appetitum sciendi comprimimus, & animum in discendis necessariis incuriosum & negligentem, ad moderatum studium scientiarum accendimus. Ad quem hortatur Salomon in Prouerbis: Stude, inquit, sapientiæ, fili mi, & lætificæ cor meum, vt possis exprobranti respondere sermone[m].

Incitamenta ad Studiofitem sunt: I. Ex ea parte, qua retundit immoderatum appetitum sciendi, hortatur ad eam scriptura in multis locis. Nam ad hoc faciunt illa: Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Multos supplantauit suspicio illorum [id est existimatio, qua putabant se intelligere, quæ ignorabant] & in vanitate detinuit sensus eorum. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Non plus sapere, quam oportet. Et alia similia.

II. Ex ea verò parte qua excitat ad necessaria discenda, inducit ad Studiofitem scientiarum, tum nobilitas, tum utilitas. Nobilitas quidem: quia nihil est post virtutem homine dignius studio literarum, quod intellectum, præstantissimam potentiam perficit, & voluntatem ad odium mali, & boni amorem accendit. Utilitas verò quoniam in discendo optimè tempus collocat, seipsum in virtute erudit, ad alios instruendos aptum reddit, & vitia, præcipuè carnis, extinguit. Vnde Hieronymus: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitium non amabis.

III. Inducit stultitia negligentiam, quam optimè pingit, & irridet Anselmus, sic scribens: Sunt autem quidam sacrarum scripturarum ignari, & dum aliquid de eis, quod possent ad ædificationem sui retinere, audiunt, contemnendo dicunt: Ad quid istud tantillum tenebo: Non ex re tam parua sapiens ero. Cur ergo mihi laborem imponam? Dimittam, quiescam, viuam vt potero, quia frustra sapientiæ ampliùs studebo, non enim omnes peribunt, qui sapientes non sunt. Hæc & his similia piger & insipiens sibi met proponit, nec percipit, quia antiquus hostis ad

I. Iul. 23. 2. Matt. 8. 20.

Lib. p. 1. per totu.

Prou. 27. 11.

Eccle. 3. 22. Ibid. 7. 16.

Prou. 25. 27. Rom. 12. 3.

Hieron. epist. 4. ad Ruf. c. 3.

Ansel. li. de similit. c. 154.

interitum

intencum eius taha sibi suggerit, quatenus in omni vita sua nulli intendat vtilitati, sed in negligentia & torpore semper viuat & pereat. Amplius quoque satis, inquit, sunt sapientes in mundo, satis scriptores, satis qui habent peritiam arrium, non est opus, vt ego me discendo fatigem. Præterea pueritiam iam exiui, iam senectuti appropinquo, nec iam possem ad magnum scientiæ fructum venire, si modò inciperem laborare. Sic secum piger tractat, & in sui torporis desidia perseverat.

Actiões Studiōsitatis sunt: i. Nolle noxia, prohibita, curiosa, & inutilia scire, & solam rerum cognitionem nostro statui & forti conuenientem appetere.

II. Scientiam tebus ad salutem necessarijs, aut veræ virtuti nequaquam præponere. Sed eam in suo gradu, id est, post virtutem, & res ad salutem necessarias, diligere.

III. Rebus vtilibus studere ea diligentia qua oportet; eo fine, quo oportet; illis locis, temporibus, & instrumentis, aut adminiculis, quibus oportet.

IV. Appetitum sciendi vtilia, dormituriētem, aut etiam labantem, & pane morientem accendere.

V. Non solum intellectum, sed etiam sensum, tum internos, tum externos, à rerum inutilium aut noxiarum perceptione, solum curiositatis prætextu amata, reprimere.

Postulatio studiōsitatis: Domine Iesu Christe, Sapientia Patris: de quo scriptum est: Quia proficibas sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines, non ex eo quòd sapientia cresceres, sed quòd in dies maiora sapientiæ indicia demonstrares: concede nobis, oramus intente, studiōsitatis virtutem, qua hinc curiositatem, hinc negligentiam repellentes, quicquid nostræ cognitioni noxiū aut inutile est, contemnāmus, & nostro statui proficua, & ad salutem nostram & proximorum pertinentia, diligenter inuestigare & scire curemus. Amen.

De Taciturnitate. §. XIII.

Taciturnitas, est virtus, qua linguam moderamur, & immoderatum loquendi appetitum cohibemus: ne os illicita aut inutilia proferat; & ne verba & vtilia, sine debito modo, aut extra conueniens tempus, edicat. Vel est, iuxta Albertum, moderari linguam, non solum à verbis illicitis, vt sunt detractiones, mendacia, periuria, impudicia, leuia, iracunda, nociua, maledica, otiosa, & similia; sed etiam ab vtilibus, & licitis (intellige quando non oportet ea dicere) secundum illud: Obmutui, humiliatus sum, & salui à bonis.

Incitamenta ad Taciturnitatem sunt: i. Mirabile Christi Saluatoris silentium, qui per triginta annos tacuit, & tribus tantam annis loquutus est. Loquebatur autem vera, vtilia, cœlestia, necessaria, quæ intellecta, homines ad salutem inducerent; & custodita, ad salutem perducerent. Postea in passione sua, coram Pontificibus siluit, & non nisi adiuratus (tunc enim loqui oportebat) quis ipse esset, patefecit. Coram Herode tacuit, adeo vt stultus fuerit reputatus. Coram Pilato nec verbum ad suam innocentiam declarandam proferre voluit: ita vt miraretur Præses vehementer.

II. Silentium Beatæ Virginis; quæ, vt ait Ambrosius, erat loquendi parciōr, & in Euangelio mirabilis eius taciturnitas indicatur (nam & mytheria in corde conferebat, exterius tacebat) & vnum aut

alterum eius verbum, & illud Sapientiæ plenum, scribitur.

III. Inducit duplex sententia Alberti & Bernardi, notanda. Ille sic ait: Silentium cor distractura componit, conscientia serenity inducit, & ad recipiendam gratiam diuinam habilem mentem facit. Vbi autem non est taciturnitas, ibi homo de facili ab aduersario superatur: iuxta illud: Sicut vrbis patens, & absque murorum ambitu, sic vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Vbi enim non est moderatio linguæ, ibi non est perfectio, iuxta illud: Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Et non aliud dicit Glossa: Vbi est custodia linguæ, ibi est beatitudo: secundum illud: Beatus homo, qui non est lapsus in verbo. Qui enim custodit os suum, custodit & animam suam. Hic verò sic ait: Pythagoras legem dedit silentij discipulis suis, vt tacentes per quinquennium, loqui dicerent: Et tu non vis tacere, cui virtus silentij propria est? Quid opus est vt properes periculum suscipere loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Quam plures vidi loquendo incidisse in peccatū, vix quenquam tacendo. Ideoque tacere nolle, quam loqui, difficilius est. Scio plerosque loqui cum tacere nesciant. Rarum est, tacere quenquam, cum sibi loqui nihil proficit. Sapiens ergo nouit tacere. Alliga, moneo, sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciuat, & in multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior & tipis ipsius coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans. Sit tibi grauitas in incessu, in sermone pōdus, atque in verbis modus. Hæc illi.

Actiões Taciturnitatis sunt: i. Nihil illicitum, nihil nobis minus decens, aut proximis noxiū, aut Deo inuisum, ore proferre.

II. Nihil inutile otiosumue loqui.

III. Bona extra tempus, & locum, & sine debitis circumstantiis, nolle dicere.

IV. Ad spiritus vtilitatem captandam, & ad colligendum & roborandum animum, certis temporibus ab vsu docendi & monendi cessare.

V. Non solum externam linguam cohibere, sed & interiorem cogitationem ab strepitu phantasiarum & verborum abducere.

VI. Nihil ad ostentationem, sed solum ad Dei gloriam, & proximorum salutem, vel nostram necessitatem, dicere, aut cogitatione voluere.

Postulatio Taciturnitatis: Domine Iesu Christe, sapientia Patris, in cuius labijs gratia spiritus sancti diffusa est, qua & nihil minus congruum tuæ diuinæ personæ protulisti, & omnia ad salutem hominum necessaria sapientissimè prædicasti: tange labia nostra calculo taciturnitatis ignito, & linguam nostram virtute silentij purifica, vt & necessaria & vtilia suo tempore proferat, & quicquid inutile aut inane est, à nostra mente & labijs abcedat. Amen.

De Modestia. §. XIII.

Modestia, est virtus, quæ externos motus & gestus temperat corporis; quæ ludis & iocis rationis moderationem adhibet, & quæ cultui, & apparatusi personæ debitum modum imponit. Quæ, vt inquit Augustinus, dicta est à modo, sicut à temperie temperantia. Vbi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam, nec minus. Hæc autem in moralibus non videtur à maturitate distingui, vt insinuat Albertus. Vel est maturitatis fructus; nam ex interna mentis grauitate actiones externæ modum rationi consentaneum accipiunt.

Alberti. supra.

Prover. 25. 28.

Iacobi. 3. 2.

Ecclesi. 33. 1.

Alber. in Paradys. c. 32.

Psal. 38. 5.

Luce. 2. 19.

Aug. lib. de vita beata. c.

Alber. c. 29.

Incitamenta ad Modestiam sunt: I. Consideratio diuinæ præsentia. Nam coram Domino, & summo Domino viuere, nihil minus decens, minus conueniens, aut agendum, aut dicendum est, quod possit tantam maiestatem offendere. Et hac ratione vsus est Paulus ad hanc virtutem suadendam, dicens: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est.] Si ille, qui omnium est Dominus, prope nos est, immò intra nos est, & vniuersarum est nostrarum cogitationum & operationum inspector, non debemus ad aliquid manum aut cogitationem extendere, quod ipse sua sententia condemnet.

Phil. 4. 5.

II. In verbis & actionibus seruata Modestia, mirum in modum mentis profectui & puritati deseruit: Sicut & immodestia sine vilo dubio eidem menti magnum detrimentum infert. Nam corpus & anima, cum in vnam sint personam colligata, mutuo suas affectiones qualitatèque communicant. Et anima læticia gesciens, corpus ipsum pene emortuum exsuscitat, & corpus graui morbo oppressum animam opprimit, & solà corporalia curare & cogitare compellit. Vnde fit vt corpus, per immodestiam effusum, animam distrahat, & Modestia cohibita, animam quoque colligat atque componat. Meritoq; ex motibus externis de interioribus moribus iudicamus, quòd interiora communiter exteriora sequantur, hæcque certissima sint interiorum indicia. Vnde Ecclesiasticus ait: Ex visu cognoscitur vir, & ab occurfu faciei cognoscitur sensatus.]

Ecc. 19. 26.

II. Modestia magnum momentum habet ad proximorum ædificationem curandam. Ipsi namque qui solum vident in facie, exterioribus ad vitia vel virtutes permouentur: ex illisque, que obijciuntur oculis, de homine bonam aut præposteram opinionem accipiunt. Habitus mentis, inquit Ambrosius, in corporis statu cernitur: hinc homo cordis nostri absconditus, aut lenior, aut iactantior, aut turbidior: aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur: Itaque vox quadam est animi, corporis motus.

Ambr. 1. offic. c. 18.

Actiones Modestia sunt: I. Caput huc illuc leuiter non mouere, sed cum opus est, grauius & maturè conuertere; si verò opus non sit, rectum tenere, & in anteriorem partem tantillum inflectere, non tamen ad latus dextrum nec sinistrum inclinare.

II. Oculos non vagos nec immoderatè eleuatos, sed parum demissos habere, & cum oportuerit, non toruè, sed benignè, non superbè, sed humiliter, non inhonestè, sed castè & pudicè ad aspiciendum leuare; & inter loquendum cum aliis, non in vultus eorum, sed sub oculos, aut etiam sub mentum aspectum defigere.

III. Rugas in fronte, sed multo magis in naso, euitare, & serenitatem mentis faciei serenitate & moderata hilaritate præferre.

IV. Labia nec nimis compressa, nec nimium ducta, tempore silentij tenere: cum verò loquendum est, verba ipsa, ac rationem loquendi, modumque pensare.

V. Vestibus mundis & religiosè compositis amicitia.

VI. Manus mundas, si vestes non sustineant, decenter quieras, & pallio operas, aut aliquantum manibus contactas ob circumspectionem seruare.

VII. Nec nimis lentè, nec nimis festinanter incedere, nisi necessitas vrgeat; & tunc quantum fieri poterit, decoris non obliuisci.

VIII. Omnes gestus ac motus, ita vt apud omnes ædificationem parant, temperare, & secundum præscriptum ordinis, neminem solum sed fratris associatum incedere. Hæc ferè omnia docuit nos Beatus Pater noster Ignatius: eo pluris æstimanda, quo à sapientissimo vitæ spiritualis magistro profecta.

IX. Si ludis ac iocis, animi remittendi gratia, vtendum est, illi sint rari, personæ, statui, & dignitati ludentis congruentes, & omni iniuria, obicænitæ, illiberalitate, & petulantia vacantes. Ludos autem & iocos moderari, pertinet ad quandam virtutem, Modestia partem, quam vocant Eutrapeliam, quæ in ludis & iocis decorum seruat.

X. In vestibus etiam modestia seruanda est, non solum quia debent esse decetè mundæ (vt diximus) sed etiam, quia non debent esse nimis delicatæ aut molles; non debent esse curiosæ, vel nitidæ; vel peregrino modo efformatæ, & à nostro statu abhorrentes, quæ aliquam ambitionem, aut animi mollitiem, aut alium affectum minus ordinatum oleant.

XI. Idem omnino seruandum est in suppellectili, in bibliotheca, in apparatu mensæ, & cellarum, & in aliis similibus, quæ omnia talia sint, vt nec nos in varias curas distrahant, nec mentem minus ordinata affectione polluant, nec fratres nostros scandalo aut nota minoris ædificationis lædant.

Postulatio Modestia: Domine Iesu Christe, cui tanta incrat Modestia pulchritudo, vt Apostolus tuus nos [per modestiam, & mansuetudinem] tuam ad virtutem hortatus sit: voces, motus, & gestus nostros virtute Moderationis exorna, & ab eis quicquid minus decens est, remoue, vt in his externis mundicia hominis interioris eluceat: & dum interius & exterius compositi esse nitimur, tuas laudes in cordibus nobiscum conuersantium excitare queramus. Amen.

1. Cor. 10. 1.

De Indicis adeptæ Virtutis.

CAPVT X.

EXPLICATA Virtutum natura, nunc de indicis virtutis, à iusto viro adeptæ, agendum est: nec id fuit in omnibus virtutibus sigillatim explicandum, quoniam cognitis in eis omnium virtutum generalibus, facile erit singularum indicia cognoscere, & generalia ad specialia virtutes applicare.

Plura ergo sunt indicia in anima iusta genita in ea & obtenta virtutis. Primum est: Si vitia virtuti opposita sentiat extincta, aut victa, aut magna ex parte compressa. Signum Humilitatis est: si in te amor immoderatus, propria excellentia non regnet. Signum Obedientia: si in rebus arduis & difficilibus voluntas propria non te dilaniet. Signum Mantuetudinis, si in medijs iniurijs vitium indignatione te ad vindictam accipiendam non pertrahat. Et sic de reliquis. Sicut enim frigus in manu non nisi à calore consumitur; aut minuitur: ita vitium non nisi à suo contrario, nempe à virtute, destruitur, aut eneruatur. Confirmat autem hoc dictum Augustini, quod ad omnes virtutes potest extendi: Augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; & perfecta charitas, nulla cupiditas. Sic omnino augmentum humilitatis est diminutio superbia; & perfecta humilitas, nulla superbia: Et augmentum paupertatis, diminutio auaritia: & perfecta paupertas, nulla auaritia: atque eadem ratio sit de alijs.

Aug.

Quisque

Quisque ergo ex pristino statu animæ suæ nouum potest aduertere; & siquidem in se contrarias rerum opiniones persenserit, quia nunc sanctè & prudenter iudicat, antea verè imprudenter iudicabat: si furor vitiorum cohiberetur esse cognouerit, sciat se non in vacuum cucurrisse, nec infructuosè pro virtutibus laborasse.

Secundum indicium est: Si quis passiones & affectiones suas videat moderatas: nam cum virtus sit affectionum moderatrix, iuxta ordinem illis impositum, erit maior aut minor acquirarum perfectio virtutum. Nunquam tamen virtus, quantumuis magna, passiones in hac vita penitus tollit, sed frænata & comprimit. Vnde Gregorius ait: Quisquis veram Philosophiam nititur tenere, necesse est, ut inter vtraque (id est, inter insensibilitatem & immoderationem passionis,) gradiatur. Non est enim pondus veræ virtutis, insensibilitas cordis: quia & valde insana per stuporem membra sunt, quæ & incisa sentire dolorem nequaquam possunt. Rursum virtutis custodiam deserit, qui dolent verberum, vltra quam necesse est, sentit. Et Augustinus quanta semper circumspicione aduersus affectiones cordis pugnamus, his verbis declarat: Aliquando concitatus, aliquando remissus, non tamen desinit caro concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, ut non ea, quæ volumus, faciamus, omnem malam concupiscentiam consumendo, sed eam nobis, quantum diuinitus adiuti possumus, non ei consentiendo, subdamus, vigiliis continuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo verus, ne se tenebræ alicuius erroris offundant: ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur: ne ab iis, quæ agenda sunt, metus reuocet; ne in ea, quæ agenda non sunt, cupidus præcipitet; ne superitacundiam sol occidat; ne inimicitia prouocent ad retributionem mali pro malo; ne absorbeat inhonesta vel immoderata tristitia: ne impartitorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem; ne maledicis rumoribus bona conscientia fatigetur; ne temeraria de alio suspicio nostra decipiat; ne aliena de nobis falsa nos frangat; [ne regnet peccatum in nostro mortali corpore,] ad obediendum desideris eius: ne membra nostra exhibeantur iniquitatis arma peccato; ne oculus sequatur concupiscentiam; ne vindicandi cupiditas vincat; ne in eo, quod malè delectat, vel visio vel cogitatio remoretur; ne improbum aut indecens verbum libenter audiat; ne fiat, quod non licet, etiam si libet; ne in hoc bello, laborum periculorumque plenissimo, vel de viribus nostris speretur faciendi victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed eius gratia, de quo ait Apostolus: Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Hæc ille. Si quando verò aspexerimus in viris sanctissimis aliquem passionis motum, non omnino virtute compressum, immò aliquando vsque ad vehementissimam concitationem adactum; sciamus, id vna ex tribus causis euenire potuisse. Aut quia maxima passionis occasio virtutem subiecit: aut quia Deus, ad humilitatem nostram, & virtutis exercitationem, eam affectionem manere, & nos in festare permittit: aut quia secundum præsentem statum, motus ille passionis non est immoderatus, & qui ab vna virtute cohiberetur, ab alia tunc quo ad omnem illam intentionem imperatur. Mansuetudo, verbi gratia, tristitias ex iniuriis illatis prouenientes frænata. Sed quid si vir sanctus videns, Deum magna iniuria affectum, & ab hæreticis aut fallis Christianis pro nihilo habitum, maxima tristitia afficiatur? Quid si ira & indignatione aduersus illos

Greg. 2. mor. c. 11.

Aug. 22. de ciuit. c. 83.

Rom. 6. 12.

1. Corin. 5. 57.

A exardeat: Quid si Dei iniuriam, aut seuerissime puniat, si possit: aut si non possit, punire desideret? Nunquid hunc mansuetudinem deposuisse putabis? Certè non deposuit: sed quam tristitiam, si oporteret, mansuetudo frænaret, zelus honoris Dei, & charitas aduersus eum, & in proximos misericordia succendit. Id illustri sacra scriptura confirmet historia: Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Sed audi memorabile factum huius viri mitissimi. Cum agnouisset peccatum populi, qui vitulum adorauerat, & in Deum iniurius extiterat, stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatis verò sibi omnibus filiis Leui dixit: Ponat vir gladium super femus suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Vique ad tantam stragem vir mitissimus omnium exarsit: Ita sanè: Quia vna virtus aliquando affectum sibi subiectum ligare & cohibere desinit; & tunc suæ naturæ relictus, alij virtuti eo indigenti subseruit. Et hinc multæ actiones virorum perfectorum intelliguntur, quæ primo aspectu videntur à passione immoderata & virtute vacua prodire, cum tamen à vitio non prodeant, sed à virtute, ea seueritate aut efficacia indigente, procedant.

Tertium indicium est facilitas atque voluptas in bene operando, secundum illam virtutem, quam quis in se inuestigare contendit. Nam sicut qui citharam facillimè pulsat, serena semper chordarum harmonia, procul dubio artem mulicæ acquiram habet: ita qui se facillè & delectabiliter deicit, & abscondit, & abiecit de se sentit, virtutem humilitatis acquisiuit. Hæc enim facilitas in humilitatis actionibus, non potest nisi ex virtute humilitatis oriri. Virtus enim est sicut vis motiua, quæ, quò ire volumus, nos velociter portat. Est sicut pondus, quo sine contradictione in bonum ferimur. Est sicut penna, quibus ad spiritualia & cœlestia subleuamur. Huic facilitati quam virtus tribuit, astipulatur quotidianum experimentum iustorum, qui postquam plusquam mediocriter profecerunt, multo facilius & suauius officia virtutis obeunt, quam ante conuersionem suam opera carnis præsterant. Nec tantum potuit in eis vitiosa consuetudo & corrupta natura, quantum nunc potest gratia & virtus adepta. Ac proinde meritò admittatur Bernardus dulcedinem & suauitatem virtutis, de ea sub nomine diuini oneris loquens in hunc modum: Liber admirari quam leue sit onus veritatis. Num verè leue est, quod portantem non grauat, sed leuat? Quid eo leuius onere, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur? Hoc onus potuit vterumque grauidare virgineum, grauate non potuit. Hoc onus ipsa quibus se præbuit sustentandum, lenis Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum in graui, licet & corruptibili, corpore positum rapiebat vsque ad tertium cœlum. Quæro in rebus, si quid forte huic exoneranti oneri simile inueniamus: occurrit mihi de pennis auium, quod vtrumque coaptet, quæ quodam videlicet singulari modo & corpulentiorum reddunt substantiam & agiliorem. Mirum opus naturæ. Vnde grossescit materia, inde sarcina leuatur, & quantum crescit in massa, tantum decrevit in pondere. Hoc planè in pennis Christi oneris exprimit similitudinem, quòd & ipse ferunt, à quibus feruntur. Quid & de quadriga dicam? Hæc nimirum admota iumento sarcina, quæ ab ipso moueri non

Numer. 12. 3.

Exodi 32. 26.

ibid. nu. 27. 28.

Bern. 2. p. 72. ad Romaldam.

poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit. Onus oneri additur, & minus onerat. Sic & oneri grauissimo legis accedens quadriga Euangelij, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit. Velociter, ait, currit sermo eius.] Sermo vtique ante notus in Iudæa tantum, nec se præ sui quidem grauedine valens vltra extendere: quippe qui & ipsius Moyfi manus, suo pondere prægrauatas, demitteret, leuigatus per gratiam, & totis Euangelicis superpositus, velociter in omnem terram exiit, & in fines orbis terræ celerimè peruolauit. Si ergo gratia & virtus sic onerat vt non premat mentem, sed leuiget, virtutem habet, qui se ad eius opera, non morosum, sed agilem & expeditum sentit.

Quartum indicium est, desiderium vehemens in virtute crescendi. Virtus enim sedem in eo posuit, in cuius sinu sui desiderium & sitim immitit. Qui sanè non ita auidè eam desiderasset, nisi aliquem virtutis haustrum accepisset. Terrena per experientiam cognita, ad sui contemptum & ad nauſeam pronocant, at cœlestia gustata, vehementiorem sui amorem & ardentius desiderium excitant. Iam ergo humilitatem, aut obedientiam, aut quamuis aliam virtutem gustauit, quem sitis se deiciendi, & obediendi, & exercendi alias virtutes, accendit. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, inquit sanctus Dauid, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Non dicit, exaudiet, aut exaudit, sed exaudiuit Dominus, quoniam sæpe antequam desideremus, virtutem desideratam impertiuit: & ex ea iam habita & possessa desiderium emanat. Nec huic contrarium est, quòd desiderium non est boni præsentis, sed futuri, quia mens iusti virtutem, quam iam habet, sed nondum in se cognouit, cupit: aut non tam gradum, quem habet, & agnoscit, sed quem nondum est adepta, concupiscit. Sicut enim, qui nunquam mel gustauit, nec, an tam dulcis cibus sit, sciuit, illud nullo modo desiderat: at si semel comedat mel, iam gustata eius dulcedine, iterum gustare appetit, & illud ardentè efflagitat: ita, qui nunquam dulcedinem, verbi gratia, obedientiæ percepit, non mirum, si alterius voluntate & imperio regi non appetat: at qui expertus est obedientiæ securitatem, aut alterius virtutis dulcedinem, statim in se intimitus eam possidèdi desiderium aduertit. Est ergo desiderium virtutis, adepta virtutis indicium, quæ dum adest animæ, non eam premit & onerat, nec ad sui odium prouocat, sed potiùs, quia valde amabilis est, ardentissimos sui amores & desideriorum affectus exsuscitat.

Quintum tandem indicium virtutis est conformitas vitæ hominis iusti ad vitam Domini nostri Iesu Christi, & ad dicta, facta, & exempla sanctorum. Christus enim datus est nobis à Patre in magistrum, ac præceptorem omnis virtutis. Vnde in monte, in quo transfiguratus est, vox Patris insonuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite.] Ipse est rectitudo & regula, cui si conformemur, recti, à quo si dissentiamus, curui sumus & obliqui. Quare in Canticis, vbi nos legimus: Recti diligunt te.] Septuaginta habent: Rectitudo dilexit te.] Et illi tres patres apud Theodoretum, rectitudinis nomine Christum intelligunt, qui, vt est veritas, aiunt, sic etiam est rectitudo. Est etiam perpendiculum, quod extenditur super Ierusalem,] vt est apud Zachariam Prophetam, quo animæ obliquitas, aut rectitudo examinatur atque perpenditur. Sancti verò imitatores sunt Christi, qui non à longè, sicut tepidi & imperfecti, sed è vicino ipsam sequuntur. Quod Paulus testatur, dicens: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Et Ecclesia profitetur,

Psal. 147. 15.

Psal. 10. 17.

Matth. 17. 5.

Cant. 1. 3. Theodor. in Cant. c. 1.

Zach. 1. 16.

1. Corint. 11. 1.

A eos filiis suis stans diebus in exemplam vitæ proponens. Si ergo homo vitam suam agnouerit, si rectitudinè, scilicet Christo & perfectis imaginibus eius, mirum sanctis perfectisque conformem, inde non imprudenter colliget, se iam esse virtutibus Christi & Sanctorum excultum. Qui domum aliquam aut palatium regium ædificat, totius ædificij ante oculos suos ac singularium partium habet exemplar, ad quod respiciens, ab eoque nunquam actione discedens, domum construat vndiquaque perfectam. Christus autem exemplar est perfectissimum totius sanctitatis, quæ in omnium consistit coagmentatione virtutum, & sancti sunt quasi partes huius exemplaris, qui aliquam Christi virtutem præcipuè imitantes, exhibent se illius, quam excoluerunt, virtutis ideas. Iustus itaque semper oculos in exemplar virtutum intendens, & secundum illud vitam instituens, virtutis in se ædificationem perficiet. Hoc autem indicium agnoscendæ virtutis certissimum esse, Bernardus & Cassianus manifestè fatentur. Ille de virtutibus Christi sic ait: Sint, si dormire volumus inter medios clericos (id est, duos aduentus) pennæ nostræ deargentatæ: vt illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendauit Christus, præfens in carne. In argento siquidem non incongruè intelligitur humanitas eius, sicut in auro, diuinitas. Omnis itaque virtus nostra tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma: & omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Hic verò de virtutibus Sanctorum sic: Imitantur opera quædam, externa specie bona numismata veri regis, quia videntur ad præfens plena pietatis, sed non sunt à legitimis monetariis, id est, probatis & catholicis patribus, figurata, nec de carnali ac publica collationis eorum prodeunt officina, sed furtim fraude daemonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque & ignorantibus ingeruntur.] His ergo indicis examine quis poterit, an virtutem sit adeptus necne, & ad quem eius gradum perfectionemque conscenderit. Et siquidem ex carentia eorum se virtute vacuum deprehenderit; luceat, & humilietur, & pro eius obtentione laboret. Si autem aliquam in se virtutem agnouerit, Deum eius auctorem sciat, & pro ea gratias agat, & non statim à labore cesset, & se in cœnum teporis deiciat. Quod enim virtutis & puritatis habet, comparatione eius, quod non habet, est quasi in comparatione cœlestis globi, gutta quædam roris exigua. Stultum est autem, ex tanta exiguitate per superbiam inflari, & non magis in profectum virtutis, laboris assiduitate contendere.

De Secundo Instrumento ad assequendam virtutem, nempe de appetitione eius.

CAPVT XI.

E **M**NIA, quæ hæcenus dicta sunt, ad primum instrumentum assequendæ virtutis pertinent, scilicet ad cognitionem virtutis, quod non potuimus breuissimè enodare: nunc ad reliqua contractioni sermone exponenda tranſeamus. Secundum ergo instrumentum est æstimatio & appetitatio virtutis; vt nempe iustus super omnia creatura, virtutem, & mentis suæ puritatem, & ornatum æstimare, & maximi reputare studeat. Ad hoc autem conferent tum incitamenta, singulis virtutibus appositæ: tum ea, quæ supra

Bern. ser. 4. de Aduentu.

Cassian. coll. 1. ca. 30.

de virtutibus

de virtutis honestate, vilitate, voluptate, pulchritudine, & necessitate sunt dicta. Quæ attentè meditata hanc virtutis æstimationem, quam optamus, procul dubio gignent. Sed præter hæc, nunc aliquas considerationes adicio, quibus profundè perpensis, quilibet spiritualis vitæ cultor magnam erga virtutem, tum reuerentiam, tum æstimationem concipiet.

Prima Consideratio: Virtutes hominem Deo similem faciunt, & sui conditoris imitorem. Cum enim Deum audimus, statim mente concipimus Dominum quendam, omnium rerum creatorem, sapientissimum, iustissimum, misericordissimum, patientissimum, purissimum, benignissimum, omniumque aliarum perfectionum plenissimum. Virtutes autem hæc eadem homini tribuunt; nam faciunt eum prudentem, iustum, misericordem, temperatum, fortem, mitem, aliisque similibus perfectionibus imbuunt, quibus pulchra quædam Dei similitudo, & perfectionum eius imitatio conspicitur. Quamobrem Ioannes nos charitate, & virtutibus, ab eamnantibus, filios Dei fieri, id est, similes illi, proficitur, dicens: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nam illi, qui per fidem Christum in cordibus suis excipiunt, hoc magno dono cumulati sunt, vt charitate & virtutibus aduenientibus, Dei filij & Deo similes efficiantur. Ipseque Dominus nos ad charitatem, beneficentiam, & reliquas virtutes hortatur, quia eis consequemur, [vt simus filij Patris nostri, qui in cælis est.] Vt, inquam, per gratiam, & virtutes effecti Deo similes, & naturæ diuinæ confortes, hæredes simus regni cælorum. Egregiè sanè Gregorius Nissenus explicat, quare ratione similes Deo virtutum possessione reddemur: Sicut formas hominum, inquit, per colores quosdam, pictores in tabulis transferunt, tincturas proprias congruasque miscentes, ita vt primæ formæ decor in similitudinem diligentissima mutatione transmigret: sic intelligo nostræ substantiæ formatorem, velut quibusdam virtutum coloribus miram pulchritudinem suæ imaginis contulisse, in nobis exprimentem proprium principatum. Sunt autem multiplices & multiformes colores huius imaginis, quibus veræ formæ similitudo depingitur, non cerussa & purpuris, nec horum mixta cum altero qualitas, nec aliquid nigredinis superductio, cilia oculisque sublinis, & per aliquod temperamentum depressa & concaua, assimilatur character, vel quæcumque similia pictorum manus artificis composuere solertia: sed pro istis adest puritas, impassibilitas, beatitudo, malique totius auersio, & quæcumque generis istius existunt, per quæ in hominibus imprimitur similitudo diuina. Talibus floribus mirabilis conditor imaginem propriam, id est, naturam nostræ conditionis ornauit. Et ad idem optimè Augustinus ait: Similitudo Dei in vobis, in moribus cernenda est; vt sicut Deus, qui hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, charitas est, & bonus, & iustus, & patiens, & mitis, ac misericors, & cætera virtutum sacra insignia, quæ de Deo leguntur: ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus esset, & iustus, & patiens, ac mitis, mundus, ac misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque habet in seipso, tanto propinquior est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. Si verò, quod absit, aliquis per deum vitiorum, & diuortia criminum, ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degenerans, oberret: tunc fiet de eo, quod scriptum est: Homo cum in honore esset, non intellexit. Hæc illi. Si ergo res pretiosissima est, hominem esse Deo similem, quanti æstimanda à nobis est virtus, cuius participatione hanc simili-

A tudinem creatoris induimus, & filij eius sanctissimi, patris mores præferentes, appellamur? Sæpe homo cupit videri, quod non est; & cum sit ignarus, aut ignobilis, aut vitis sordidus, vult sapiens, nobilis, & virtutibus ornatus apparere. Cupiat igitur virtutum omnium possessionem, qua non externa tantum specie, aut per hypocrisis, sed re verà erit & apparebit sapiens, & illustris, & mundus, quia erit similis Deo, & filius Dei. Sed profectò quantà res sit, hominem similem esse Deo, non potest plenè in hac vita cognosci: Charissimi, inquit Ioannes Apostolus, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Nunc, inquam, gratiæ & virtutum adeptione sumus filij Dei: quid manus, quid dignus, aut pretiosus, quam nos esse filios Dei? Si autem id nondum apparet, si id in hac vita nostram certam notitiam fugit, nec ob suam magnitudinem nunc potest agnosci, scimus quòd aliquando tandem id nobis patebit, & de tam eximie dignitatis adeptione lætabimur. Cum verò hoc apparuerit, videbimus nos similes Deo, quod ex eo maxime cognoscetur, quia videbimus eum sicuti est. Lux enim, & pulchritudo, & claritas, non potest nisi à luce, & pulchritudine, & claritate cognosci. Si ergo Deum intuebitur, eius vtrique similitudinem participabimus, & sicut vt ipse (quo nihil est maius) lucidi, & decori, & illustres, & planè dii participatione erimus.

Secunda consideratio: Virtutibus vitæ spiritualis statum habemus, & nostro muneri satisfacimus. Hoc quanti momenti sit, hac similitudine perspicuum erit. Senatores reipublicæ duo habent ad suam dignitatem pertinentia: Alterum continet externa dignitatis senatoriæ insignia, vt togatam vestem & virgam, quam in manu gestant, & si quæ sunt alia, quibus à populo iudices cognoscantur & habeantur. Alterum verò est, in quo huius dignitatis substantia consistit, & sine quo rectè administrari non valet: illud autem est, quòd à rege gubernandi reipublicam & iudicandi potestatem acceperint; & peritiam legum necessariam, ac rectitudinem ad hoc munus obeundum, propria industria conquisierint. Illud primum aliquid quidem est, sed parum est. Adeo vt si quis absque potestate à rege accepta, illa senatorum insignia gestauerit, dignus sit, quòd vt mimus aut lycophanta ab omnibus rideatur. Istud autem secundum maximi pretij est, quoniam hominem facit senatorem, & iudicem, & in dignitate & prælatione constituit. Vnde si potestatem & peritiam necessariam habens, casu aliquo signis externis caruerit, non ob id senatoriam dignitatem aut meritum magni honoris amittit. Ita prorsus in illis, qui spirituales vitam profitentur, eadem duo sunt consideranda, nempe & huius vitæ signa & indicia, atque eiusdem vitæ natura & substantia. In signis continentur religiosus habitus, cæremonia, asperitates, ieiunia, & si quæ sunt alia, quæ vt folia huius vitæ fructus operiunt & protegunt. Substantia verò non est alia, quam multiplex virtus, ex qua coalescit decor spiritualis conuersationis. Substantia huius vitæ est charitas, est humilitas, est paupertas, est castitas, est obedientia, est mansuetudo, est denique id omne, quod nos bonos facit, & ad mentis puritatem conducit. Adeo vt si hæc adsint, licet illa ex legitima causa desint, quia nimirum inter hæreticos sanctæ Philosophiæ habitum gestare non possumus, aut inter sæculares ordinis cæremonias & prostrationes intermittimus; aut præ inualentidine ieiunare, & aliis asperitatibus insistere non valemus, non ob id spiritualis vita à nobis abscedat. Sed si virtutes desint, licet illa externa nos cingant, spiritua-

Ioh. 1.

12.

Matth. 5.

44.

Nissen. de
creat. ho-
minis c. 5.August.
tract. de
creat. spi-
rit. ho-
minis To. 9.

Psal. 48.

13.

I. Ioh. 3.

2.

lem vitam deserimus, & in religiosa etiam professione ad vitam saecularem & carnalem dilabimur. Immo & ex eo maxime reprehensibiles erimus, quia non iam semel aut iterum mendacium proferimus, sed semper tota nostra vita & conuersatione mentimur. Quod namque perniciosius mendacium excogitare possumus, quam illud, quo veste & signis externis nos spirituales viros dicimus, cum tamen moribus quam longissime a vita spiritali distemus? Vnde peccatori, inquit Ecclesiasticus, tertiam ingredienti duabus viis. Et quisnam verius ingreditur duabus viis, quam ille, qui nititur, duobus dominis, Deo, externis iudiciis, & mundo, moribus & actione seruire? Hic sane sicut propheta Baal, claudicat in duas partes; & contra preceptum Domini: Non induetis vestimento, quod ex lana linoque contextum est. Intus malicia, exterius virtutis ostensione se vestit. Et secundum spiritum illud quoque mandatum transgreditur: Non seres vineam tuam altero semine, ne & sementis, quam seuisi, & quae nascuntur ex vinea, pauiter sanctificentur. Semina namque diuersa sunt, professio spiritalis & vita carnalis, & dum hanc illi admiscemus, aliquid immundum, nempe quod carnale est, quasi Domino consecramus. Similis est, qui ita viuunt, Simoni illi Cyrenaeo, qui (vt seiscit dixit Gregorius) crucem portat, sed nequaquam moritur; quia omnis hypocrita, corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriae mundo viuunt. Ita hic, qui signa spiritalis vitae praefert, substantiam vero eius nempe virtutem, deponit, crucem quidem exterius portat, quia corpus illis exterioribus signis, quasi cruci, affigit, sed mortem iustorum, qua mundo moriatur, subire detrectat. Si ergo virtus est vitae nostrae substantia, qua sancte viuimus, & sine qua, aut manifeste, aut occulte, mali sumus: quanti aestimanda est, quam magni facienda, nisi forte velimus profanis hominibus, qui apud omnes peruersi viuunt, annumerari, aut (quod ex parte peius est) cum simulatoribus & hypocritis poni?

Tertia consideratio. Virtutes sunt, quas Deus, quas Angeli, quas sancti, quas etiam peccatores, & peruersi homines magno in pretio habent: mirum autem erit si spiritalis vitae cultor eas magni non reputet, & pretiosissimas aestimet. Ita sane natura comparatum est, vt ea aestimemus, quae omnes sine vlla contradictione suspiciunt, & quae a nemine vidimus fuisse contempta. Quin & saepe humanae opinionis mutatio, & noua alicuius rei, quae antea vilis habebatur, aestimatio, facit nos, vt manibus & pedibus in eius aestimationem eamus, quam antea ex corde contempsimus. Hoc Hispania nostra quotidie experitur, cui in tanta saeculi huius felicitate posita, inter alias miseras haec, non sine risu aliarum nationum, dominatur, quod singulis aetatibus, quin & in vna aetate, variis indumentorum & pileorum generibus, ab aliis gentibus per imitationem mutuatis, vititur. Fitque, vt quae multis dominatur gentibus, omnium earum in hac parte seruiat erroribus, & magnum sibi videatur assumpsisse cultus vestitusque splendorem, si nullam respuat aliorum hominum vanitatem. Demus ergo, in Hispaniam aliquem ex nobilibus Galliae aut Angliae venisse, pro more suae gentis vestimentis indutum, quae maxime ab usu Hispaniae dissentiant: primum non sine taedio & risu a nostris conspiciatur, & inusitata forma vestimenti contemnitur. Deinde assuetudine videndi, minus displicet; post aliquot dies placet. Iam aulici nostri regis, qui in hoc sunt vanissimis vaniores, peregrinum cultum imitantur, & more Gallorum aut Anglorum pileati vel induti progrediuntur. Quis non videat post nonnul-

Ecl. 2. 24.

3. Reg. 18. 21. Deut. 22. 11.

Deuter. 22. 9.

Greg. 8. mor. cap. 26.

A los menses, quibus vanitas ista in gentem nostram se diffudit, vestimentum illud maxime placere, in magno pretio haberi, & qui illud non gesserit, pene rubore suffundi: Id potest vanitas, curidem non poterit veritas? Talem aestimationem vanissimorum hominum vsus inuexit, qui aorum suorum grauitatem & paritatem abiecerunt, qua fuere omnibus gentibus formidabiles; cur eandem regis regum, & omnium aulicorum suorum vsus non inferat, & vestibus curiae caelestis aestimationem non praebet? Deus ipse, o homo, virtutibus tanquam vestimentis induitur, quae licet alterius rationis a nostris sint; tamen virtutes, id est, Dei perfectiones esse non desunt. Vestimentum eius, inquit Daniel, candidum quasi nix. Quod, auctore Theodoro, significat inculpatam sanctamque diuinam naturam. Neque enim ille, qui incorporeus est, serico, aut auro, aut aliis corporalibus vestimentis induitur; sed indumenta eius sunt puritas, sanctitas, misericordia, iustitia, & perfectiones reliquae, quae licet diuersis appellationibus nominentur, a sua diuina natura non differunt. Angeli etiam Dei virtutibus induuntur. Nam & in sua conditionis exordio, fide, spe, charitate, obedientia, & aliis virtutum actionibus meruerunt, quam nunc possident, beatitudinem. His virtutibus aut aliis perfectioribus, quae in locum earum successerunt, adhuc in caelestibus sedibus exornantur, Et ideo candidi, splendidi, alati iuuenes nobis apparent, vt in his conditionibus corporalibus, quae in incorpoream naturam non cadunt, eorum puritatem, sapientiam, obedientiam, fortitudinem, & virtutes reliquas agnoscamus. Splendidissimo namque habitu ornati conspiciuntur, non quod tunicis operiuntur & palliis, inquit Ambrosius, sed cum sit in illis naturae suae nuda substantia, vestiti videntur esse, quod sancti sunt. At sancti Beati de nullo alio vestimento, nisi de virtute multiplici gloriantur. Quare de Ecclesia ad caenam Agni vocata, & cum Domino in caelis regnante, in Apocalypsi dictum est: Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Ne autem ambigeremus quid hac veste signaretur, addit: Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Virtutes ergo, ac bona opera in terris facta, Sanctos in caelis circumdant: & qui in terris plus huius suppellectilis abundat, illic gloriae est abundantior & ditior. Egregieque Augustinus inquit: Non tunicas inspecturi sumus in regno caelorum, sed vestis cuiuscumque fulgor iustitiae deputabitur. De iustis autem, qui adhuc in Ecclesia militant, potius tacendum esset, quia certum est, quod virtutibus tanquam indumentis fulgere contendunt. His dicitur, vt induant Dominum Iesum Christum, id est, vt eius se virtutibus operiant. Et vt induant viscera misericordiae, & aliarum virtutum, quas Paulus enumerat. Sapiens, ait pulchre Ambrosius, nunquam inanis est, semper in se habens amicum prudentiae, qui potest dicere: Iustitiam induebam, & vestiebam iudicium, sicut dixit Iob. Namque haec mentis sunt interna velamina, quae nemo alius possit auferre, nisi cum aliquem sua culpa despoliat. Denique sic despoliatus Adam, nudus inuentus est. At vero Ioseph vestimento exteriori reiecto, nudus non erat, qui salua habebat indumenta virtutis. Iniqui tandem has vestes non habent, sed illae tam gloriose sunt, vt saepe eas se habere & gestare mentiantur. Conantur enim ostendere in imagine, vt ait Gregorius, quod non habent in veritate. Si ergo Sanctorum, & Sancti sanctorum vestes sunt virtutes, non quidem ex peregrino regno ascitae, sed reipublicae caelestis & Ecclesiae propriae: Si has vestes

Dan. 7. 9. Theodor. orat. 7. in Daniel.

Ambros. 10. de Angel.

Aug. in Psal. 51.

Rom. 13. 14. Coloss. 3. 12. Ambros. 2. de Iacob. c. 5. Iob. 29. 14.

Gregor. 5. mor. c. 4.

magnates regni caelorum & Ecclesiae proceres gestant, & magni aestimant; æquum profecto est, ut nos eas aestimemus, & his honoris insignibus amiciri gestamus.

Quarta consideratio. Virtus est, qua in hac vita pascimur, & conscientia morsus sedamus, cuiusque possessione vitam quietam tranquillamque ducimus. Sicut cibus corporeus, carnem, ita humilitas, & charitas, & quævis alia virtus mentem reficit & recreat. Nullusque animam habet robustam, & ut oportet, bene refectam, nisi his pretiosis alimentis pascatur: Percussus sum, inquit Sanctus David, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.] Percutitur quidem homo peccatorum vulneribus & plagis, ariet autem imbecillitate. Quare: nisi quia non edit panem suum? Quis est panis eius nisi virtus? Nam præcepta de virtutibus data sunt. Panis verò iste, quem sanctus Propheta commemorat, panis est præcepti, ut Augustinus interpretatur: unde virtutis panis est, cuius defectus, vulnera & infirmitatem attulit. Sine hoc pane, in hac vita famem patimur, & in futura præ fame deficiemus. Quare Ecclesiasticus ait: Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum.] Ac si dicat, cibus meritorum hinc deferendus est, quo ibi pascamur, cum pro meritis æternam gloriam recipiemus. Optimus sanè cibus, qui in æternitate nos coronat, sed de hoc statim, & in hac vita abundè sustentat. Atque adeò Ambrosius explicans illud Prouerborum: Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, sapienter ait: Illud conuiuium Salomonis, non de cibus, sed de operibus est bonis. Quo enim meliùs epulantur animi quam bonis factis? Aut quid aliud tam facile potest iustorum implere mentes, quam boni operis conscientia? Cui autem iucundior cibus, quam facere voluntatem Dei? Quem cibum sibi solùm abundare Dominus memorauit, sicut scriptum est in Euangelio: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in caelis est.] Hoc mirabili cibo, stomachi, id est, conscientia, ardorem & desiderium compefcimus, quæ nullo alio nisi virtutibus satiatur, & quodcumque aliud intuleris, graui ipsa dolore torquetur. Diuitia mordent illam, honores inquietant, voluptates luctui & tristitia immergunt: virtus verò illam exhilarat, & indicibili quadam ratione tranquillat. Aded vt sola virtute, & bonitate ipsa felix sit, licet omnia alia aduersè succedant. Et hoc testatur Bernardus, dicens: Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur: secura, cum anima Deo presentabitur: secura, cum vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iusti iudicij statur. Futuræ beatitudinis non est vtilius remedium, nec certius testimonium bona conscientia: cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Subiciatur corpus in pœna, in ieiuniis maceretur, verberibus lamietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, & secura erit conscientia.] Hanc conscientia bonitatem non aliud, quam sancta opera & virtutes faciunt; illæ ergo sunt, quæ conscientia quietem afferunt; illæ, quæ vt optimi cibi ipsi satisfaciant, ne in nos tanquam in crudeles clamet, & querimoniis infestet. Si nobis pretiosa videtur interna quies, pretiosa videatur & virtus, quæ mentem pacat, immò & Dominum ad in illa quiescendum inuitat. Postquam enim hominem ad imaginem suam condidit, & similitudine sua, scilicet gratia & multiplici virtute, vestiuit, requieuit ab omni opere, quod pararat. Et testatus est, se non re-

Psal. 101. 5.

Aug. ib.

Ecl. 14. 17.

Prov. 21. 1.

Ambros. 1. offic. c. 31.

Ioan. 4. 34.

Bern. lib. de interior. ve domo. cap. 22.

A quiescere nisi super humilem, & quietum, & tremantem ad verba sua. Hic autem non est alius, nisi qui turbationem vitiorum abiecit, & pacem virtutum acquisiuit.

Quinta consideratio: Virtutes sunt, quæ iustos, ex hac vita emigrantes, comitantur, & eos in caelesti patria coronant. Reliqua omnia, diuitias, honores, voluptates, cognatos, amicos, in transitu mortis volentes nolentē tue dimittimus, aut potius ipsa nos deserunt, nec nobiscum abire volunt. Solæ virtutes ac virtutum actiones, vt sodales fidelissimæ, nos in hac longa profectioe sequuntur. Et vox de caelo dicit Ioanni: Opera enim illorum sequuntur illos.] Sequuntur quidem vt diuitia nostræ, quas solas nobiscum deferre datum est, cum tamen temporales diuitia in hac vita remaneant. Sequuntur vt famuli, quibus vndique stipamur, vt more illustrium vitiorum in caelum intremus. Sequuntur vt trophea, seu vt spolia lectissima, quæ ex multiplici victoria, de hostibus obteuta, parauimus. Sequuntur vt amici & familiares Dei, qui ante illum audent os aperire, mercedem petere, & nos de seruata fidelitate laudare. Opera illorum sequuntur illos, inquit Bernardus: Ad quid sequuntur, nisi vt laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi vt multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum, saginentur vituli, quos ex prophético testimonio, cum reedificabuntur muri ierusalem, super altare Domini nouimus imponendos? Animam etiã virtutibus, ac bonis operibus constipari, dum ex hac mortalitate in vitam immortalem egreditur, Canticum canticorum declarat: Ibi enim siue de Ecclesia, siue de qualibet iusta anima dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij: Ascendit anima de deserto, delictis, hoc est, virtutibus, affluens, innixa super dilectum suum, quia virtute Domini virtutes congregat, & è tertis ad caelestia se eleuat. Ascendit quali ex pulueribus pigmentorum composita, quia non tantum virtutes congregat, sed & eas sollicita discussione, ne aliquid se vitiosum immisceat, diligenter examinat. Pigmenta quippe facimus, inquit Gregorius, quando virtutes congregamus in corde. Quando verò ipsas nostras virtutes, per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc procul dubio vnguenta virtutum quasi in puluerem tundimus, vt eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus.] Virtutes ergo in aliam vitam euntes, nos cingunt, & præmio ac corona nobilitant. Tantum enim quisque in caelesti sede mercedis accipiet, quantum in terra in virtutibus congregandis, & sanctis operibus faciendis, laborauerit. Denique præmium virtutis, inquit Augustinus, erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius & maius nihil potest esse, promittit. Et Hieronymus: Vnusquisque pro operibus suis mercedem accipiet, nec possunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia subleuare.] Quanti ergo valoris sunt veræ virtutes, & studiosa ex eis prouocantes actiones, quæ non vt falsa bona in tempore necessitatis nos deserunt, sed tunc fideliter nos iuuant, nos circundant, & in possessionem æternæ hæreditatis inuehant: Verè virtus, vt inquit Basilius, est pretiosa possessio, ad quam obrinendam nulli sumptui, labori nulli parcendum est.] Quod si huius sæculi bona aliquando in magno pretio habuimus, nunc vera bona, scilicet virtutes, vt pretiosissimas opes, cupiamus.

B

C

D

E

Apoc. 14. 13.

Bern. ser. 2. omn. sanct.

Cant. 3. 6.

Cant. 8. 5.

Greg. ib.

Aug. 21. de ciuit.

Hier.

Bas. epist. 42. ad Maxim.

His considerationibus & aliis similibus poteris te,

ô spiriti

o spiritualis vir, ad magnam aestimationem virtutis mouere. Enitendumque tibi est, vt eam super omnes res creatas maximi facias. Et sicut aliqui saeculares homines, in tantum honorem suum aestimant, & sunt boni nominis cupidi, vt propter illud opes profundere, & vitam ipsam dilapidare non timeant: Ita debes virtutem appetere & diligere, vt propter eam omnia visibilia post habeas, & in omnibus, quae aggressus fueris, nihil aliud nisi virtutem, & mentis puritatem, & quod in idem recidet, Dei beneplacitum, & gratissimam voluntatem exquiras. Haec semel de virtute concepta aestimatio facit, vt diligenter aliis instrumentis ad eam assequendam vtaris, & omnia, quae ad illam comparandam fuerint necessaria, non nisi facilia & leuia existimes.

De Tertio Instrumento, nempe de Postulatione Virtutis.

CAPVT XII.



NVM ex praecipuis medijs, siue instrumentis acquirendorum donorum, est postulatio, siue petitio, qua ab auctore donorum ea suppliciter postulamus. Quod enim nec debitum nobis est, neque in sola nostra potestate positum, non ex iustitia, sed ex gratia; non ex propria tantum industria, sed ex aliorum auxilio conquinamus. Virtus autem donum Dei est, tum acquisita, tum infusa, quoniam illa Deo inspirante, & desiderium ingerente, & ad opus iuuante, acquiritur: & haec eo liberaliter donante & infundente possidetur. Sequitur ergo, vt ad virtutem obtinendam humilis postulatio & intenta oratio sit necessaria, qua ad Dominum virtutum clamemus, & ei non armis, sed desiderijs, sed gemitibus, sed precibus importunis vitem nobis vim inferamus. Ipse non semel in scripturis sanctis vocatur virtus nostra: Vt: Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine spes mea à iuuentute mea. Et: Fortitudo mea & laus mea, Dominus; & factus est mihi in salutem. Et: Intende in adiutorium meum, Domine, virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli. Et multa alia similia. Id, vt intelligamus ab eo, vt ab auctore, omnem esse virtutem, eo datore à nobis possideri, & eo adiutore seruari. Hanc veritatem intuens Richardus de Sancto Victore, positus omnibus necessarijs ad virtutem acquirendam, illis, tanquam rem, ex qua omnium aliorum efficacia dimanat, postulationem adiicit. Septem, inquit, in cuiuscumque virtutis executione obseruare debemus. Primum illud, quod ad os pertinet, an re acta mala damnare, & accusare. Secundum, quod ad oculos pertinet, quid agendum sit, diligenter inuestigare, & per inuestigationem cognoscere. Tertium, quod ad obauditionem pertinet, inuento consilio, consentiendo acquiescere, & obtemperare velle. Quartum, quod quasi varium sit, agendo bono insidiantia mala caute deprehendere, & prudenter discernere. Quintum, quod etiam quasi ad manus spectat, deliberatum bonum opere explere. Sextum, quasi quadam promotione pedum, ex bono incepto semper ad meliora tendere. Sed quia ad nullum horum per nosmet ipsos sufficientes sumus, ad omnia haec diuinum auxilium implorare debemus. Ecce omnia ex oratione siue postulatione dependent: quia omnis noster conatus ad virtutes capessendas irritus est & inanis, nisi Domini auxilio roboretur, & humana imbecillitas ope caelesti fulciatur. Dominus est, qui occa-

Psal. 70.
5.
Psa. 127.
14.
Psa. 139.
8.

Richar.
lib. 1. de
erudit.
inter bo-
mi. c. 39.

A siones peccandi submouet, in quibus politi, non ad virtutes quaerendas, sed ad vitia curremus. Quod cognoscens Dauid, ait: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Si dicebam: Motus est pes meus:] & iam tentationi succumbere, & fune peccati illaqueari incipiebam, [misericordia tua Domine adiuuabat me.] Dominus est, qui bonam voluntatem studiosè operandi, & virtutes acquirendi, aut ad eas nos disponendi tribuit: & considerata ab ipso duritie nostra congrua vocatione cor pulsatur, cui magna efficacia & non sine magna libertate respondeat. Factus enim est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.] Adiutor quidem in tribulatione, quia à tentatione & cadendi occasione nos liberat: & in opportunitatibus, quia mentem ad praua currentem retrahit, & immissa bona voluntate sanat. Nostrium est velle, inquit egregiè Augustinus, id est, nos volumus, & liberè in bonum consentimus, sed voluntas ipsa & admonetur, vt surgat: & sanatur, vt valeat, & dilatur, vt capiat: & impletur, vt habeat.] Dominus est, qui occasiones ad ministrat studiosè agendi & virtutes comparandi, siue quibus, etiam si ad sit bona voluntas, haudquam virtutibus studemus. Doctos inter ignaros constituit, vt eos doceant: diuites cum pauperibus collocat, vt illis subueniant: innocentes inter malos ponit, vt patientiam exerceant. Saepeque maximam voluntatem beneficiendi tribuit, & facultatem operandi denegat, vt homo eum boni operis auctorem agnoscat. Vnde & Paulus Romanis scribens, ait: Saepe propofui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc.] Dominus tandem nobis operantibus cooperatur, & perseverantiam in bono cepto elargitur. Et Apostoli praedicant vbique Domino cooperante.] Et operatur in nobis non solum velle, sed & perficere.] Et elegit nos, vt eamus, & fructum afferamus, & fructus noster maneat, hoc est, perseveret, atque subsistat. Si his omnibus modis virtus est donum Dei, manifestum est, eam vt habeamus, à Domino esse magnis conatibus postulandam. Donum quippe tam grande, non petentibus, & non cupientibus denegabit, qui pulsare praecipit, & postulare mandauit. Nam non quaerens, non petens, non pulsans, indignus prorsus est, pretiosissimum donum accipere.

D Trifariam autem possumus hoc instrumento postulationis vti. Primò quidem, si omnes virtutes simul, aut generaliter, sigillatim eas enumerando, ab omnium virtutum auctore postulemus. Dum enim illum meditatur, Patrem esse nostrum, & vniuersalem omnium necessitarum prouisorum, vna eademque precatione totum cor nostrum in conspectu eius effundimus, vniuersa desideria pandimus, & quicquid vitae spirituali necessarium est, cum ingenti fiducia deposcimus. Hic modus postulandi valde utilis est, & formam orationis, qua amator virtutis vti poterit, inferius agentes de preparatione ad Missae sacrificium, in medium proferemus. Interim tamen vsurpare possumus eam orandi formulam, quam assumebat Dauid, dicens: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.]

E Quandiu viuatur in hoc mundo, ait Augustinus, proficientium est haec cantatio. Et alio loco inquit: Videtis itaque fratres, quo orandi compendio, & qua paucitate verborum, perfectionem viuendi venerabilis Propheta quaerebat. Breuissimo namque sermone conclusit, quo quot spiritualium habet multitudo virtutum: Si ergo ille Prophetarum praecipuus doceri se à Deo sanctiores vias, tantopere precaba-

Psal. 93.
17. 18.

Psa. 9. 10.

Aug. lib.
de bono
videntia.
17.

Roma. 1.
13.

Matth.
16. 10.

Philipp.
18.

Ecce eod.
lib. 4. c.
6.

Psa. 118.
66.
Aug. ibi.
lib. 50.
cap. 10.

tur, quid

tur, quid facere nos oportet, qui & tardi, sensus infirmitate torpemus, & proxia tenuioris vite consuetudine deprauamus? Nos, inquam, magis orare debemus, dicentes: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce nos Domine, quatenus in nobis bonitas malicia vincat, vitia ac voluptates disciplina castiget, & ignorantia cecitatem scientia veritatis illuminet.] Sic ille. Hæc ergo verba affectibus protelata, cunctas virtutes exposcunt. Nam bonitas charitatem, spem, & iustitiam petit, quibus boni sumus, & bonum speramus, & nos aliis beneficos exhibemus. Disciplina fortitudinem & temperantiam postulat, quibus nos cohibemus atque comprimimus. Scientia, quæ ad intellectum pertinet, fidem, & prudentiam efflagitat, quibus credenda & agenda cognoscimus.

Secundò possumus virtutes specialiter & seorsum postulare; ita scilicet, vt in hoc orationis tempore, aut in hac die, humilitatem, & in sequenti orationis tempore, aut in sequenti die, obedientiam, & sic deinceps alias virtutes petamus: vel vna hebdomada, aut mense, aut anno, vnam eandemque virtutem instantissimè postulemus. Hic autem petendi modus longè vilior est, quoniã dum aliquid specialius petitur, & desiderium nostrum ad vnum constingitur, voluntatis affectus vehementius inflammatur. Hic verò ardor affectus, & desiderij, est clamor validus, qui Dominum quasi dormientem (quia nos in tempore dormimus) exuscitat, & ad dandum nobis quod petimus, surgere & properare compellit. Sape etiam tam grata est apud illum intentio, & humilis vnus virtutis postulatio, vt non solum illam, quam petimus, sed alias etiam, quas non petuimus, largiatur. Salomon enim petiuit à Domino cor docile, quo posset florentissimum regnum gubernare, & audit: Ecce feci tibi secundum sermones tuos; sed & quæ non postulasti, dedi tibi.] Ita cum aliquid gratum Domino ab ipso petimus, ille, qui merita supplicum excedit & vota, quod non petimus, & nobis necessarium est ad vitam spirituales ducendam, largiri dignatur. Virtutes ergo in speciali petierunt Apostoli, quando dixerunt: Adauge nobis fidem.] Eriterum: Domine doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos.] Et Paulus: Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborati per spiritum eius in interiorum hominem. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati.] Quibus verbis constantiam, fidem & charitatem Ephesius postulauit. Huncque precandi modum putat Gregorius, adumbratum esse in illo facto Iob, qui filiis suis consulens, [offerebat holocausta pro singulis.] Holocaustum, inquit, per singulos filios offerimus, cum pro vnaquaque virtute Domino hostiam nostræ precis immolamus: Ne sapientia elueat: ne intellectus, dum subtiliter currit, aberrat: ne consilium, dum se multiplicat, confundat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, precipitet: ne scientia, dum nouit, & non diligit, inflat: ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorquet: ne timor, dum plus iusto trepidat, in desperationis foueam mergat. Cum ergo pro vnaquaque virtute, vt pura esse debeat, preces Domino fundimus, quid aliud quam iuxta filiorum numerum, holocaustum per singulos exhibemus? Hactenus ille. Ac tandem sancta mater Ecclesia hanc orandi rationem præscribit, dum pro charitate obtinenda, pro castitate, pro patientia, & pro humilitate speciales

A orationes fundit. Ad eamque iuuare poterunt postulationes supra singulis virtutibus affixæ, quæ non tam voce prolata, quam affectu & desiderio fusa, à Domino quod petimus, impetrabunt.

Sed tertius modus postulandi est vtilissimus, cum scilicet nos ad desiderium specialis virtutis, attempta consideratione alicuius incitamenti, ex supra dictis mouemus; & sic calefacti & accensi, actiones illius virtutis interioris, voluntatis aut intellectus actibus ad praxim adducimus, & simul illas ardentissimè postulamur. Hunc saluberrimum petendi modum docuit nos ille homo, qui filium suum à demone surdo & muto liberari cupiebat. Cum enim audisset à Domino: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti; sic cum lacrymis effatus est:

B Credo Domine; adiuua incredulitatem meam.] Credo Domine, exercitatio fidei est adiuua incredulitatem meam, postulatio fidei est. Docuit & sanctus Iob, quando dicebat: Et qui cepit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me.] Illa prima verba actionem virtutis sonant, quia virtutis est virtutum contritionem approbare; sequentia verò orationem continent, quia oratio est, vitij perfectam contritionem exquirere. Sic itaque debemus pro modulo nostro ex gratia nobis data virtutis actiones exercere, & ad producendos actus interiores conari, simulque quod nobis de illa virtute deest, à Domino, benignissimo donatore virtutum, exposcere. Praxis huius postulationis, ad tractationem de oratione pertinet, vbi, si Dominus vitam & opportunitatem scribendi dederit, eam sumus fusius explicaturi.

C Interm tamen, vt lector huius ad assequendam virtutem instrumenti præstantiam & vtilitatem intelligat, illud in vna virtute exercere breuiter gratum habemus; & ex prima virtute, nempe ex fide, paradigma sumamus. Vult igitur aliquis ad augmentum fidei se disponere, & perfectionem eius à Domino obtinere: primum aliquod incitamentum ad fidem attentè consideret: Meditetur verbi gratia, quod ea, quæ fides tradit, esse à Deo dicta Ecclesia docet. Ponderet quæ congregatio sit Ecclesia, quam sancta moribus, quam illuminata doctoribus, quam illustris martyribus, quam instructa miraculis, quam diues voluminibus sacris, quam præclara ex certissima Pontificum, qui post Christum & vice Christi eam gubernant, successione. Videat quam stultum esset tali ac tantæ congregationi non assentiri, & quæ à Domino accepit, non vt Dei dicta suscipere. His mens in fidei possessione exultat, & eam perfectius obtinere desiderat. Tunc ore tacens, & intellectu cum Deo loquens, & ardentissima voluntatis desideria producens, actus fidei, prout in tractatione huius virtutis supra ordinatè sunt positi, exerceat, & his, aut aliis verbis similibus, aut dissimilibus, quæ tamen suum desiderium exprimant, ad Dominum dicat.

B Domine Deus meus, lux purissima, veritas summa, sapientia infinita, ego puluis & cinis, quia tu me audire dignaris, loquar ad te, vt tua immensa beneficia collaudem, & noua nunc, ad tuam gloriam meumque profectum, accipiam. Quas grates tibi referam, o ardentissime amator hominum, quia me ad fidem vocasti, & relictis innumerabilibus hominum millibus, me Ecclesiæ, ancillæ tuæ, & matris meæ optimæ filium & membrum esse fecisti? Potui ego inter hæreticos, inter Iudæos, inter idololatrias nasci; potui hac turgentissima fidei luce carere; potui infidelium delinens & falsitatis obrui; potui te summam veritatem & aternam non agnoscere. Tu autem, Domine, ob

Marci. 9. 24.

Iob. 6. 9.

3. Reg. 3. 9.

Luca 17. 5.

Luca 11. 1.

Ephes. 3. 14. 16.

17.

Iob. 1. 5.

Greg. 1. mor. cap. 9.

solam bonitatem tuam miseris es mei, & effundens super me abundantiam magnarum miserationum tuarum, à misera cecitate liberaisti, & in Ecclesia tua natum, & à parentibus fidelibus genitum, & in deliciis veritatis educatum, lumine fidei circumdedisti. Certè, Domine, ego ad gratias agendas pro hoc incomprehensibili beneficio sum ineptissimus; quas tamen possum, ex totis præcordiis meis tibi refero, & omnes creaturas ad te laudandum & magnificandum inuito. Et nunc, ô Deus meus, & creator meus, hoc fidei dono de tua liberalitate suscepto, volo maiestati tuæ obsequium præstare, & meum intellectum subiicere, quia dona tua otiosa & inutilia manere non sustines. Qui donum dedisti, in hac hora bonum eius usum tibi placitum, & ex gratia manantem attribue. 1. Meum igitur intellectum tibi, per Ecclesiam loquenti, & per sanctas scripturas, quas tradiderunt diuinitus inspirati homines, & per Concilia, & traditiones, & Pontificum decreta loquenti, submitto: & te certissimam veritatem, ab omni falsitate profus alienam, audire gesto. Loquere Domine, quia audit seruus tuus; fac ut audiam, & ut sanctæ Ecclesiæ, in qua sine dubio loqueris, sincerus & humilis discipulus sim. Tu verba vitæ æternæ habes, & eloquia tua dulciora super mel & fauam: vitam ego illa attentè, submisè, & libenter auscultem! 2. Certissimè credo, Domine, te esse vnum Deum: deorumque multitudinem, ut ipsi rationi naturali contrariam, irrideo, subfanno, atque detestor. Credo te esse Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, & Spiritum sanctum procedentem, vnam & indiuiduam Trinitatem, omnium creatricem, Angelorum & hominum seruatricem, & prædestinatorum ex vtraque natura, tam Angelica, quam humana, glorificatricem. Credo, Verbum ac Filium tuum, in vtero Virginis Spiritus sancti operatione fuisse conceptum, verum Deum, & verum hominem, Dominum nostrum Iesum Christum. Credo certissimè, eundem Filium tuum, ex Virgine non solum ante foelicem partum, sed & in ipso & post ipsum manente natum, sub Pontio Pilato passum pro salute nostra, verè mortuum, & in sepulchro conditum, & tertia die per resurrectionem in vitam immortalem educum. Credo ascendisse in cælum, sedisseque, ac sedere ad dexteram tuam; indeque ad generale iudicium venturum, omnibusque pro meritis aut demeritis, præmium æternum, aut poenam æternam daturum. Credo item, in terris esse sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, congregationem fidelium à te gubernatam, eamque per totam orbem diffusam, non esse aliam, nisi eam, quam seruus tuus Pontifex Romanus gubernat. Credo etiam sanctorum, id est, fidelium, in orationibus, in bonis operibus, & in mutuo auxilio communicationem, carnis item resurrectionem, & quòd in carne mea, si fidelis tibi fuero, atque te (ut spero) faciente, in gratia decessero, oculis mentis videbo te, Deum saluatorem meum, & oculis corporis videbo Filium tuum, Redemptorem nostrum, ut in perpetuas æternitates te fruam. Hæc omnia & reliquas res fidei, ô Domine, certissimè credo, & libentissimè illis assentior, da obsecro, ut quotidie firmius credam, & humilius illis assentiar, & in hac fide vsque ad mortem permaneam, & postremo halitu in ista confessione perfungar. 3. Aspicio te, ô Pater sanctissime, fidei oculis in sacramentis mirabiliter operantem; in Baptismo animas lauantes: in Confirmatione roborantem: in penitentia iustificantem: in Eucharistia reficientem; in extrema vnctione ad pugnam

Avngentem; in ordine ministros initiantem, & in coniugio tuæ Ecclesiæ filios providentem, & in aliis caeremoniis, & ritibus Ecclesiæ nostram salutem operantem. Aperi obsecro oculos fidei meæ; eosque magis ac magis illumina, ut hæc signa à te instituta non arido corde suscipiam, sed te in illis reuerear, & effectus inuisibiles, quos operaris, admiter, & reuenter intuear. 4. Hanc autem fidem coram te Pater misericordiarum, & coram omni cælesti curia, ex toto corde confiteor; eam meæ fidei ac confessionis testem aduoco, & paratus sum ex benignitate tua, ore coram omnibus hominibus confiteri, & apud hostes fidei tuæ eam constanter, ut verissimam, & viam salutis vnica, atque certissimam prædicare. Hanc tu, Domine, confessionem accepta, & me ad eam sepius iterandam excita, & in mortis quoque periculo ad fidem confitentem robora, & præparationem animi ad subeundam mortem pro veritate tribue, ut si persecutio defuerit, at robur & fortitudo ad eam sustinendam non desit. 5. Nec solum hanc fidem confiteor, & confiteri volo, sed & pro conditione mea res fidei tradere, cum oportuerit, & rudes ac tuæ veritatis ignaros, per me & per alios, docere constituo. Concede obsecro, Domine Deus, ut ita exequar, & qui à tua largitate lumen accepi, fratres meos sine lumine manere non patiar. 6. Hereticos, ô Deus amantissime, vehementer detestor, & eorum confortium, nisi ad querendam ipsorum conuersionem, odio habeo; eosque ut pestes animarum, ut hostes tuos, & filios diaboli, auersari statuo. Semper, Domine, me ab illis elonga; eorum conatus euerte, & Ecclesiam tuam ab eorum peruersitate & cecitate custodi. 7. Doctrinam illam, quam mater Ecclesia damnat, constanter damno; quam suspectam habet, respuo; & quam minus sinceram iudicat, nullo modo suscipio. Libera animam meam, ô magister verissime, ab omni falsitate, nunquam verba speciosa me lætent, quibus mendacium se contegit, sed veritas tua me semper erudiat. Auge in me fidem, adiuua inbecillitatem meam, & vniuersas huius virtutis actiones sanctè, feruidè, & studiosè me exercere concede, ut ex fide ad visionem transeam, & quòd nunc certissimè & firmissimè credo, aliquando tandem aspiciam. Amen.

Hæc est oratio pro virtute fidei, & eodem modo formanda est aliarum virtutum exercitatio & postulatio, quam sigillarim ex qualibet virtute non facimus, tum quia satis prolixum esset; tum præcipuè, quia non ex verbis compositis, sed ex ardore mentis ignitis postulationes pendere nolumus. Si autem vna meditationis hora ad vnam virtutem exercendam & postulandam non sufficerit, præmissa in sequenti die alterius incitamenti meditatione, poterunt reliquæ actiones, quæ supersunt, exerceri internis affectibus, & à Domino postulari. Sed non facilè explicari poterit, quanta sit huius postulationis utilitas ad virtutes obtinendas: solum dicimus id ex opere atque experimento esse petendum; & cum homo se mirabiliter adiutum & in virtutibus promotum agnouerit, tunc tandem huius instrumenti efficacitatem intelliget.

Qui verò ex aliqua coniectura didicerit, se in omnibus aut in aliqua virtute proficere, Deum illius doni auctorem noscat, & pro eo immensas illi gratias agat. Dicit cum sancto Dauide: *Benedicite anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Hæc enim dona illustrissima

nulla vnquam debent obliuione deleri, nulla ingrati-
tudinis significatione extenuati. Quia vetè di-
gnus est, beneficium, & tantum beneficium, amitte-
re, qui ingratus existens oculis & affectum in cælum non tollit, & Deum virtutis donatorem esse non clamat, & illum tanquam in se beneficentissimum extollere & prædicare non curat. Hoc etiam desiderium agendi Deo gratias, eundem Prophetam sollicitabat, quando alio loco dicebat: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.] Hanc enim esse gratiarum actionem, Basilus docet, sic scribens: Vt decor animæ accedat, & efficaciter perfectina eorum, quæ necessaria sunt, potentia, diuina est opus gratia. Vt igitur supra dixit: Quoniam vita in voluntate eius: sic nunc Deum in reddendis gratiis exultat, dicens: In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Pulcher quidem eram secundum naturam, debilis autem factus ob peccatum, per insidias serpentis admissum, perij. Pulchritudini ergo meæ, quam ex te in prima creatione accepi, addidisti virtutem eorum, quæ me addecent, effectiuam. Pulchra namque est omnis

Psal. 29.
8.
Ensi. ad
eundem
Psal.

A anima, quæ in symmetria propriarum virtutum conspicitur.] Sic ille. Gratia itaque Deo propter virtutem habitam agenda sunt, ne eam amittere permittamur. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.] Ingratus est, qui non habet, & à quo auferetur, quod habet. Nam si interroges: Quomodo non habet, si habet? Respondebit tibi Augustinus: Non habens habet, qui nescit unde habet. Tollit enim Deus rem suam, & remanet illi iniquitas sua.] Ita gratiarum actione & virtutem iam adeptam seruamus, & nouis augmentis à Domino acceptis promouemus. Qui ergo virtutes conatur agnoscere, & earum, actionis gratia, indagare naturas; qui curat, eas in magno pretio habere, & vt res pretiosas à Domino postulare; qui non obliuiscitur pro quocumque profectu gratias agere, is, ad virtutes adipsendas, ex parte intellectus instrumenta parauit, quas, si sequentia adiciat, à Domino certè recipiet.

Luce 19.
16.

Aug. ser.
3. de
sanct.
To. 10.



P A R S T E R T I A

De Instrumentis assequendæ Virtutis, pertinentibus ad Voluntatem.

POST tria instrumenta, inuuantia intellectum ad acquirendam Virtutem, sequuntur ea, quæ voluntatem seu affectum ad eundem finem corroborant; quæ, quia propius ad actiones virtutum accedunt, maiori sollicitudine sunt executioni mandanda. Virtus quippe non tam in intellectu, quam in affectu est, non solum quia præcipue virtutes sunt partis effectiuæ perfectiones, sed etiam quia ipsæ virtutes, ad intellectum pertinentes, in sua bonitate & merito, maxime ab affectu dependent. Qui si rectus non sit, & in Deum pura intentione directus, necesse est, vt actiones intellectualium virtutum aut perdat, aut suscipiat. Certum est enim, Prudentiæ actum, ad preposterum finem per voluntatem ordinatum; destrui, & ex prudentia in astutiam verti; actum verò fidei, vt confessionem eius minus sincera intentione prolatam magna ex parte suscipiari. Auidè igitur, & libenter excipienda sunt instrumenta voluntatis, quibus in virtutum acquisitione desudat, quæ sub quinario numero comprehendimus. Sunt autem illa, Diffidentia sui, Desiderium virtutis, Intentio in finem virtutis dirigenda, robor animi in difficultatibus vincendis, & particularis cura in vitis contrariis eliminandis. Et hæc quinque instrumenta tertius iste tractatus explicabit.

Quartum Instrumentum ad assequendam Virtutem, Diffidentia sui.

CAPVT I.

POST QUAM Iustus cognitioni virtutis studuit, eamque pretiosissimam esse conspexit; opera voluntatis ab humilitate in-

C cipiatur, & in cognitione proprii nihili, atque in diffidentia sui ipsius sollicitè se & diligenter exerceat. Quia virtus Christiana (vt diximus) est donum Dei, & opus diuinæ gratiæ, non partus corruptæ naturæ, & ideo non à solis naturæ virtutibus sperandum est, sed in Dei speciali auxilio, quod nobis præsto erit, omnimodis confidendum. Est autem diffidentia sui, affectus ille submissus, quo quis suam imbecillitatem callens, & ad